



Syst. Th. III.
252




252.









HE
IN
Pſeu

D

J.G.D
Litterar
ra

Catho

a

Tripis v
u

HENRICI HULSII
INANITAS.
sive Libri,
Pseudo-Catholicæ Re-

ligionis Inanitas

ab ipso inscripti,

DISSIPATIO.

Authore

J.G.D. HUGUENINO,
Litterarum Div. Doctore, & Electro-
ral. Heidelberg. Univ. Prof. P.

Suam

Catholicæ Religionis Veritatem,
ab Inaniis ejus inaniloqui,
non sine risu,

VINDICANTE.



COLONIAE

Typis WILHELMI METTERNICH Bibl.
Unter der fette Hähnen im Vogel Greiff.
M. DCC. IV.

Syst. Th. III 252

Prov. Cap. XXVI. vers. 5.

Responde stolido secundum stultiam suam; ne sibi sapiens esse videatur!

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

1402 868 01

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DN. JOANNI
GULIELMO,
COMITI PALATINO
Rheni; Sacri Romani Imperii
Archithesaurario &
ELECTORI;
Bavariae, Iuliæ, Cliviæ, & Mon-
tium Duci; Comiti Veldentiaæ, Spon-
hemii, Marchiæ, Ravenspurgi, &
Mœrsiæ; Domino Ravenstenii,
&c. &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.



Am augustum Nomen in
tantillo codice præfari! Au.
† 2 sum

sum adspice propitius, CLEMEN-
TISSIME DOMINE! Nec Tuam Glo-
riam: nec Tuas Virtutes: nec Tua Fa-
cinora: nec Tua in me Benefacta; nec
gratum quidem animum meum hic
edissertum venio. Tam sacrum mi-
hi Thema aptiori loco reservari, ju-
bet ipsa Veneratio qua mihi tam sa-
crum est. Duobus tantum verbis
refero, Quid sategerim, Quid spe-
rem.

SATEGI nempe dissipare libri
cujuspiam Inanitatem, Catholicæ Re-
ligionis Veritati meæ, recens oppo-
sitam. Quid? dissipare sategi? Eam
imo dissipat ipsamet illa Veritas, ta-
metsitacuissem; ut tenebras Lux
dissipat. Immanis vero, procax scrip-
tor est atque truculentus. qui an in
me propter Religionem Catho-
licam; an in Religionem Ca-
tholicam propter me sœviat ma-
gis

gis, non constat : adeo trucu-
lentissime utrinque s̄avit. Ergo
tacere, nefas sensi : hocque majus
nefas, quod Personis nullis parcat;
Fraternitatem omnem ejuret; Fer-
rum & flamas spiret; jamque ca-
nat classica. Ad h̄ec sane à Refor-
matis neutiquam auctoratus ; qui
saltem pr̄ter , supra, contra eorum
fere receptum morem facit, quod
ita ferociendo facit; indeque nullam
Icriptionis suæ Approbationem e-
dit. Et parum absuit quin rem quo-
que Reformatam, contra ipsum de-
fendere suscepisset : nunc vero sa-
tius erat pergerem sincerum illum
Pacis, Concordiae, Unanimitatis
Christianæ spiritum, sensum, dul-
cedinem tanto inculcare magis;
qnanto minus in illa ejus hominis
ferocia connivere. Ac subinde joci
risusque venerunt suppetias; ad quos

Ipie

Ipse Serenissimo vultu retidere, for-
tasse non deditaberis. Et hæc qui-
dem sunt quæ fategi.

SPERO autem, GRATIOSISSIME
DOMINE! nihil glorioso Patroci-
nio Tuo indignum fecisse ; nihil
eximiæ illi Pietati Tuæ incongru-
ens. ut quæ Bello de Regionibus,
tutam Pacem Mundi ; Discordiæ
Religionum, aliam Pacem Dei in
Christianæ gente succedere percu-
pias, consilie, advigiles, &, am-
plas Europæ suspicientis oras pera-
grando, miliaris : utrinque Pacifi-
cus, Filius utrinque Dei. O si quod
ardenter oro dare pergit Deus ille
Pacis ; magnanima consilia Tua,
Actibus Heroicis semper effectum
sortiri! O si quod & auguror addat!
TE cum Augusta illa Electoralis Tuæ
Serenitatis **C**ONSORTE, longum
votorum compotes ævum exigere!

mc-

meque interea dum vivo, ad VOS
non ingratum spectare sicut oculi
servorum ad manus Dominorum
suorum, & sicut oculi ancillæ ad
manus Dominæ suæ! à nulla spe ter-
rena mihi contingat esse beatiori.
sum enim

ELECTORALIS SERENITA-
TIS TUÆ

Religiosissimus Cliens, ac humili-
mus fidelissimusque servus;
J. G. Dav. Hugueninus.

Christiane Lector!

Quæ libro meo, Catholica Religionis Veritati, opposita prodiit Pseudo-catholica religionis Inanitas, est hic eo à me dissipata modo, cujus hac in ipsa Dissipatione, rationes non unas intelliges, probabis, & laudabis dum leges. Succinctum est hoc opusculum, & intra brevitatem, quam ubique nervosam consistor, ita concinnatum; ut non necesse sit ea praefari, quæ ipsum perlegendō, melius tibi patescet. Interea vero duo sunt, quorum præmunitione, omnem hujus lectionis detractionem, undecumque suborituram excludes.

ALTERUM eorum est, me quidem pacatcordis eodem positu quo Catholicam Veritatem scripsi, haec tenus fuisse, nunc etiam esse, &c. si bono Deo placet, futurum esse. Ex quo ne facile dimovear, facit illa mihi nativa Indoles, lenis & pacis amantissima: facit illa sincera, æquanimis, & Christi Apostolorumque miratrix Pietas: facit illa humana, liberalis, excitatoria, blandaque paterna Approbatio, qua liber ille meus fuit non ita pridem, nomine speciatim moderationis, approbatus Romæ: facit & denique Exemplum & sermones duorum per has Germaniae partes Nunciorum Apostolicorum, Qui aditum ad Se mihi patere, mitissime jusserunt. Perinde enim mihi semper memorand

Christiane Lector!

morandus erit , Eorum nunc alter **Illustriſſimus**
ille & Reverendiſſimus **JULIUS** , Dei & A-
postolice Sedis gratia , Archiepiscopus Rhodiensis
&c. &c. Cujus an amissitata Indoles , an cle-
mentissima Affabilitas , an consummata rerum
Experientia , an operofiſſima Pietas , an Evan-
gelium promovendi Sedulitas , benigniſſimæ
erga omnes Mansuetudini reliquaque Virtuti-
bus præluceat ; definire non permittit cuncta-
rum harmonia. Nihil tamen obſtantibus , ſeu
ea mihi nativa lenitate , ſeu his tantis incentivis ;
ut neque ea quam unus & alter Reverendi Exi-
miique viri , modeſtæ reſponſionis commenda-
tionem injecerunt : non poſſum non fateri quin
his ego chartis , plus aculeatæ acritatis alle-
rim , quam ullis unquam me chartis alliturum
tuſſe putarem.

Ast profecto si suavelformicæ bilis inest: si im-
culpatæ tutelæ moderamen obtinet: si vim vi-
repellere licet: si vita & fama, pari passu am-
bulant: si licet, convenit, oportet Christianum,
sollicitudine eadem honorem suum tutari, qua
caverene sit scandalo, nulliusque frugis: si quod
pro mendacio quis facit, id pro Veritate viro
probo licet: si quantum quis facit ex amore sui,
ad privamque sui gloriam; tantum ex amore
Dei, ad ejusque gloriam facere, viropio in-
cumbit: Breviter! si cujuspian mortalis ar-
rogantium, & ipsi, & populo Christiano
damno-

Christiane Lector !

damnosam , refrenari ; publicæ utilitatis & Pie-
tatis interest : si hæc inquam omnia ita vere se
habent, prout revera se habent; utiq; dum modum
non egrediar, nullius admissi reus ero. Atqui
habito vario , ad varia illa respectu ; cum mo-
dum neutquam excedo, tum contra , de modo,
quod possum , relaxare satago. Nam, ab Ad-
versario intorta retorquens , passim rei tetricita-
tem , genialibus jocis diluo. Ea quæ ipse retor-
queo , ab impotentiis impetus vehementia liber,
imperturbataeque mentis compos , omnia sem-
per tempero. Denique illa pacæ Dei gubernatrix
in corde meo , omnem illatam mihi injuri-
am condonare certus scribo : uti & reapse sub fi-
nem scripti , conceptis sincerisque verbis omnem
illam condono. Adeo ex ea parte nihil est , be-
nevole ac rixas exose mi Lector ! nihil omnino
quicquam est , cur paucas hasce pagellas , meo
periculo legere detrectares.

ALTERUM vero quod te volebam , super-
est : ut elevem scilicet opinionem , undeunde
præceptam ; sermonem fortasse meum , tibi
non satis clarum fore. Commodiori autem oc-
casione posthac , ut spero , dabitur de *Mentis &*
Oris conceptu , sub una communis notione λόγος à
Græcis designato , dissertare pluscula ; ex qui-
bus curioso Lectore non usque adeo indignis , ity-
lum meum extra omnem obscuritatis sic vere di-
ctæ culpam , non operose ponerem. Hic vero
mihi

Christiane Lectot !

mihi sufficiet dixisse; & obscurum fore non nullis, & tamen esse clarissimum.

Subobscurus erit illis, *Primo*, qui Dictio-
ni mere Scholasticæ nimiris forsan aslueti, genui-
nam Latinitatem ad gustum non exegerunt, vel
ei desueverunt. Nam tametsi ultro agnoscam quot
& quanta mihi ab illa desint, voces tamen &
phrases minime Latinas; non temere, ac nisi
subinde coactius admitto. Sic enim ab animo sum
comparatus, ut, quanquam me Latiarum litera-
tum Musageten quendam, singularemve Patro-
num neutiquam venditem; ex iis tamen sim con-
staanter futurus, qui præclarissimas illas Musas
(hei quam prope moribundas!) sepelire, aut ea-
rum exequias comitari, tam religiose abhorrent,
quam pristinam illam, vilem, lutulentamque bar-
bariem postliminio receptare. *Secundo*, obscu-
rus erit illi Studia tractantium generi, qui auto-
mant libros omnes, etiam docta qualiacumque
Disciplinæ cujusvis, ac nominatim Theologicæ,
tradentes; alio censu non esse, vel esse non de-
bere, quam quo cætera præterpropter orientis
animi oblectamenta. Et vero perperam illis
præjudicatum est, res omnes, etiam ingeniosio-
res, doctiores, altioresque, posse ad cujuslibet
legentis captum, oscitantis licet & pandiculan-
tis, accommodari; nec ad id aliud quicquam re-
quiri, quam ut in deductiori verborum profu-
sione propositæ extent & quasi tenuius dilutæ.

Verum,

Christiane Lector!

Verum, quasivero res solidæ, vel & vegetiori
mentis conceptu stantes; possint verbosiori lo-
quela sic dilui, ut non vel dissolvantur, vel na-
tent in verbis; ac non potius pro defecata & so-
lida claritate accurandum esset ut verba natarent
in rebus!

Jam itaque eundem sermonem stylumve me-
um, illis esse aut fore clarissimum dico, qui pri-
scam Latinitatem in pretio & honore habentes;
tam libros cum attentione requisita legunt, quam
appositarum vocum & phrasium intelligentiam
enucleare amant. Etenim, 1. Ut meditandi &
animo concipiendi facultas, nequaquam mihi
impedita est, sed, Deo laudes, satis expedita
promptaque; ita similiter facultas animi cogitata
proloquendi. qualem etiam frequenti exercitio
sic excolui confirmavique, ut ex tempore dicen-
di & orandi usum, jam tum adhuc Adolescens,
non incommodum haberem: auditorum nullo
meæ dictionis claritatem unquam insuffiante. 2.
Quanquam ex tempore scribere cogitata, perin-
de mihi facile est; mihi tamen est moris, præser-
tim quum publice vulganda scribo, pedetentim
procedere: non alia profecto pensitando rumi-
nans, quam quæ ad veram sermonis Claritatem
unice sunt comparata. Nempe, mentis con-
ceptum exquisite verso, recogito, ejusque velut
florem delibo; ut eum nempe quam maxime
distinctum habeam atque clarissimum. tum vero

ex

Christiane Lector!

ex vocibus, & phrasibus, quibus persæpe plurimis posset variando declarari; eas velut incernculo incerno & feligo, quæ paucissimæ, modo ut appositissimæ, formare possunt conceptum orationis, ipsi illi mentis conceptui quammaxime congruentem; eique ita similimum, ut ejus expressior non dari possit effigies, ac uterque vobis sint unus λόγος.

Et ista quidem sunt, quæ dum aliquid literis publicam lucem visuris consigno, ad Lectorum utilitatem mihi accuranda imposui. Ac quo minus hac in parte successu me cassum putem, facit approbatio plurium, eorumque excellentium virorum: quorum nou nulli non gravati sunt dicere, se deprehendere in dictione mea conceperunt vere vividos pariter ac vere clariissimos. At viri magni fere solent honestis conatibus laudes liberalius admitiri: quas uti pro laudantium scopo, unice vellem ad aliquam frugem publicam redundaturas, arduitatis saltem opinionem à stylo meo depellere; ita non verebor Lectorem ad obvium quodpiam experimentum, mihi nunc in mentem incidens, invitare. Abscindat nempe sibi aliquam arbitratu suo, contextus mei periodam! & experiatur si placet, totum quantum ejus sensum aliis quibuslibet verbis aut phrasibus præterpropter æque paucis, clarius efferre quam feci! Tum vero protinus sentiet, nisi fallor, vix ac ne vix quidem id fieri posse. ac proin

Christiane Lector !

eo ipso experietur reapse , dictionem meam
tam non esse incuriose projectitiam , sicque certo
obscuram ; quam potius ad purum putum men-
tis conceptum simplicius exprimendum , curiose
circumcisam : quod ipsum ea styli virtus est ,
quam pro sincera claritate , genuini omnes Artis
magistri unice semper affectant . Ut ergo probe
sciam , quam dispar illis ego sim ; tamen hoc sal-
tem unum fidenter credo dicoque : Stylum nem-
pe aut Dictionem , seorsim à suo themate , aut
in e sola consideratam ; mihi talem esse , quam
qui non intelligit , idem illam Veterum , exem-
pli gratia , Cr. Salustii , non melius intellexerit .
Hei vos ô cordati Sapientiae fautores , alumni ,
candidati ! An ergo Latinam illam amœnioris ,
politioris , solidioris Literaturæ Faciem , sic
patiamur jam in manibus nostris restin-
gui , & Posteritati non tradamus ?

Scribem in Museolo meo ; 25.

Iunij MDCIV.

INDEX

INDEX CAPITVM.

C A P U T I.

Libri, Catholicæ Religionis Veritas inscripti, Idea. Pag. 1.

C A P. II.

Contra Catholicæ Religionis Veritatem opposituro, quæ partes incumbant. Pag. 11.

C A P. III.

Oppositionis Hulſianæ dimidium, est plenum Ignorantiæ ridiculæ : sicque vere Inanitas. Pag. 17.

C A P. IV.

Oppositionis Hulſianæ dimidium alterum; est plenum Improbitatis veteratoriarum : & sic vere Inanitas. Pag. 32.

C A P. V.

Suam Ignorationem & Impotitatem conjuncte vult supplere Hulſius, quæſita libri ſui Crassitudine ; & ſic tanio magis mera est Inanitas. Pag. 50.

C A P. VI.

Manifestum Doctrinæ defectum supplere vult Contumeliis. Pag. 60.

C A P. VII.

Contumeliarum Hulſianarum discussio, Pag. 68.

C A P.

C A P. VIII.

*Contumeliarum Hulsianarum discussio-
nem continuat ; eas nempe tractans
quæ sunt de Theologiæ & Contro-
versiarum Imperitia,* Pag. 84.

C A P. IX.

*Eandem Contumeliarum Hulsianarum
discussionem continuat : ultimam nem-
pe tractans , quæ est Asinaria.* Pag. 115.

C A P. X.

*Manifestum Candoris defectum supplere
vult Calumniis.* Pag. 140.

C A P. XI.

*Ipsarum Contumeliarum & Calumnia-
rum ignominiam , vult intervertere
Diris ; quibus caput meum ut piacula-
re devoveat.* Pag. 166.

C A P. XII.

*Responsionis hujus meæ talis causas de-
cretorias exponit : ac Hulsium saniora
cominonitum , serioque reprehensum ,
etiam atque etiam provocat.* Pag. 181.

C A P. XIII.

*Brevis ad Fratres Reformatos Paræne-
sis : nominatim ad Clivienenses , Monta-
nos , Marcanos , & Juliacenses ; ad
Ipsamque Serenissimi Borussiæ Regis
Majestatem ,* Pag. 195.
HENR.

HENRICI HÜLSII
INANITAS

Sive

Libri , ab ipso Pseudo-catholicæ
Religionis Inanitas , inscripti ,
Dissipatio ;
CATHOLICÆ RELIGIONIS
Veritatem ulciscens.

C A P U T . I.

Libri , Catholicæ Religionis Veritas ,
inscripti , idea.

THeologiæ Christianæ studiis inde à puerò
consecratus , magis ac magis allabentibus
annis tentiebam id mihi incumbere nego-
tii , ut Evangelii gloriam pro virili promove-
rem . Cumque dein intelligerem eam quam
maxime promotum iri , Deique præstituto ob-
secundatum ; si quæ plures Ecclesiæ , Christi
verbum profitentes , se venditant orthodoxas ,
in unam Fidei unius professionem postliminio
redirent : exinde non cessavi , donum quale-
cumque divinitus mihi concessum , ad eam re-
conciliationem meditando conferre .

Sicut autem spes tanto major allucere vide-

A

batus

H. Hulsi Inanitas.

batur quod & insigniores erant hominum hoc in
ævo, in scientiis progressus; & nihil tantopere
obstare comperirem, quo minus de communia
Principio, inter dissentientes conveniret: ita
nec omittebam de re quædam perscribere,
prout occasio subinde opportune captata per-
mittebat.

Plena autem obtingebat, quum multiplici
sapientia Dei dirigente, ego ante tres annos &
octonus menses, ad Romano-Catholicam Ec-
clesiam, pro mea Christianismi professione
concessi: ad primitiam illam Matrem, Deposi-
tariam, & inde ab Apostolis Custodem & Con-
servatricem oraculorum Dei, verbique saluti-
feri quocumque per hæc tempora ad vario no-
mine Christianos habemus derivatum. Et quan-
do ejusdem verbi doctrinam constanter retinere,
quin & post eam mutationem melius profiteri
intendebam; capropter plane constitueram mea
facti rationes ex eodem Verbo repetere, ac eo
præsertim contendere ut ansam Catholica quæ-
dam negandi Principia, sicque præemptam Ve-
ritatis disquisitionem causandi, Reformatis au-
ferrem.

Et quamvis non subdubitare non possem, an
quid ejus instituti, à merecenti advena sic statim
publicandi, Approbationem superiorum facile
nacturum esset; rem tamen Deo confisus, alad
criter aggrediebar: ac ipsam, eodem benedi-
cente, ad successum pro voto secundum perdu-
cebam.

H. Hulsi Inanitas.

3

cebam. Namque mea recens meditata; ac, qua pars est, examini subjecta, ita Venerandi Domini Censores approbabant, ut Typographicæ editionis fieret mihi facultas. Ea vero lubens ac pie lætus utebar; ut qui certam apud cordatos omnes gratiam initurus, cum dilectione Veritatis, Charitatis fraternali viam monstraturus essem.

Ac profecto vera & sincera est, nisique valde faller, unica ad veritatem facilius extricandam via, quam solerti circumspectione mihi animadversam præstitui. Ut quidem agnosces, mi Lector! si animum reflexeris, illinc, ad generalem ideam, sub quam Partes controvertentes, Ecclesias puta Catholicam & Protestantem, in antecessum exegi: hiuc, ad ipsam meæ Translationis ideam.

I. Primo enim attendenti ad ejus qui eas separat, dissentius originem, facile occurrebat talem ab universis Christianis concessumiri, qualēm hic breviter renarro. Quæ per multaretro lapsa secula, Ecclesiæ reformandæ mentio, subinde & passim à variis hominibus erat interjecta; ea crebrior adhuc, evolutis quindecim circiter à Christo nato seculis, instantiorque fiebat. Ast omnium creberrima & instantissima tandem, paucis post Concilium Lateranense quintum annis. Nam indulgentiarum occasione exalperatus Lutherus, alia, varia, multa Doctrinæ Catholicæ capita, publice Disputando convelebat. Cui ex Status & humanæ Politicæ rationibus ac-

cedentes , faventes , patrocinantes non pauci , etiam viri Principes ; tam foedum in Germania , tumultum excitarunt , ut Reformationem sic generatim vocatam , ab Oecumenico Concilio instituendam , assentiretur postremo atque decerneret Ecclesia . Ecclesia inquam illa omnium quotquot erant Christianorum una Mater ab omnibus agnita : adeoque talis etiam ab iis agnita , qui Reformationem celerandam quam maxime instabant .

Imo vero dum illam ab eadem ut Matre communis expetebant & expectabant , hoc ipso agnoscebant & profitebantur , ejusdem veneranda Matris Unitatem & Communionem , nequaquam per ullum Schisma dissolvendam fuisse : modo ut illa qualis & quanta necessaria erat , fieret Reformatio . Adeoque & hoc etiam ipso , agnoscebant & profitebantur , ipsam eandem Matrem Ecclesiam , quantumlibet obscuracionis & nævorum ante passam , nihil minus tanquam Matrem , Reformatione peracta , agnoscendam fuisse , & reverenter habendam . Unde nec aliter hic censi possint , quam qui reapie & solenniter sponderent , se utcumque res caderet , Matris Ecclesiae de tempore præterito nævos , ita velle tunc & imposterum sepositos esse , ut tantummodo ad ipsam quam editura erat Reformationem , attensuri essent .

Quam autem id negotium ita se manifesteret , tam manifeste patescit , totam Catholicos inter

H. Hulsi Inanitas.

inter & Reformatos controversiarum summam, debere extricandi ergo , hac generali quæstionie succingi ante omnia, atque circumseribi; scilicet An id quod Ecclesia pro Reformatione tunc fecit, revera fuerit illa tanta Reformatio , quantum omnes expetere & expectare debuerant; sive, quanta fuerat necessaria?

Dum autem illa sub idea , ego intra hanc pri-mariam quæstionem , toti mediationi disqui-sitionique meæ limites extra quos non evagarer circumduxi atque circumposui ; hoc ipso ansam amputavi tot innumeris illis prolationibus Au-thorum , quotquot commemorari solent. Ac eorum primo quidem, ex quibus sive narranti-bus , sive disputationibus , vulgo amant de Ec-clesiæ prisca seu Doctrina , seu statu & facie , vel in bonam vel in sequiorem partem profundere verba : Deinde & illorum qui Ec-clesiæ Concilium Tridentinum subsecutæ , seu comprobarunt seu vellicarunt Doctrinam ; qua-lem non aliunde quam ex ipso latice hauriendam, institutum me jubebat. Et vero Authores, seu alterutrius , seu multo magis utriusque classis ad-vocare ; solertia Veritatis ex ipsis fountibus inquisitori , non tantummodo supervacaneum, sed cum certo investigationis dispendio venit : ea siquidem data excursionibus porta , nihil quam rei nervum excidere, attentionemque distractam lentescere , confundi , atque dissipari , conse-quens & necessum est.

II. Secundo proinde ipsam meæ Tractationisconomiam instituens , hæc tria bene considerata , rite determinavi ; 1. Rem demonstrandam: 2. *Principium* demonstrandi ; & 3. Demonstrationis *Methodum*.

1. *Rem* itaque Religionis in fidei meæ Apologatico demonstrandam ; uno verbo , Doctrinam Ecclesiæ , nusquam extantius vidi , mihi que causatus amplectendam inveni , quam ut illa in Systemate Concilii Tridentini , ultimi œcumениci , & Catechismi Romani ex ejus Decreto Pontificiaque approbatione composti & promulgati , extat consignata . Est ea quippe Doctrina quam Ecclesia supra dicta Mater , rebus Fidei & Morum recognoscendo tunc operata , dicebat & dicit in se complecti Reformationem quæ sitam qualem & quantam oportuerit quæri : adeoque & eadem Doctrina est , qua præcise & diserte vertitur omnis controversiæ cardo ; quæque sola & proprie à me erat demonstranda .

2. *Principium* vero demonstrandi non aliud arcesso quam illud ipsum , quo soloutendum , quoque solo vel standum vel cadendum esse , Princeps Reformatorum assertio , atque professio est . Solam nempe Scripturam utrique Parti Canonicam , & secundum id ingenuæ Rationis lumen quo omnem hominem venientem in mundum illuminat Deus , φρονιμῶς , σωμέτως prudenter tractandam . Neque illo solo utor

dun-

duntaxat ubi facile consenserint omnes , ejus solius usum convenire posse ; veluti quum de rerum Christianarum primordiis , altissime repetita instituitur disquisitio , quam & qualem me instituisse , in libri mei præfatione declaravi : sed & illud unum principium deinceps usurpo , etiam posteaquam constabilivitum illam Ecclesiæ cum Scriptura S. reciprocam Authoritatem , tum Verbi non scripti aut Traditionum Divinitatem , tum Vicarii in terra à Christo constituti Infallibilitatem , tum & ipsum ipsius scripturæ ex ipsamet protocanonica , Canonem completum .

Protestati itaque fuerint qui inde à Conciliis tempore cluent *Protestantes* , hodieque si diis placet protestari pergent , Reformationem ab illo jam dicto Concilio protectam , non secundum S. Scripturas fuisse factam , ut nec sacris Scripturis seu probari seu defendi posse ! Illam tamen ego ex solis S. Scripturis *omnibus* cum ratione tractatis , totam & per partes maxime controversas probare atque defendere suscepī . Et quid amplius à nobis in causæ suæ favorem desiderare possint , quam si æqua & pari conditione , armis scilicet utrinque è sola Scripturæ utrisque Canonica desumptis ; de Veritate cum ipsis configam & decernam ? Ac si ipsis ostendo totam Ecclesiæ Doctrinam , ita S. Scripturæ quammaxime consonam , ut nihil omnino contingat quam veritates ab ea seu explicite seu elicite stan-

stantes ; atque dein Objectiones quas ex eadem scriptura seu explicitas seu elicitas objicere solent aut possunt , secundum eandem resolvo : annon Religionis negotium à nobis rite tractari , & ex quo marte secum agi , palam deinceps agnoscet ?

3. Demonstrationis tamen Methodum amplius eo comparavi : sive Catholicam Doctrinam adstruerem ; sive Reformatorum Objectiones discuterem.

A. Prius etenim illud ut ingenua soliditate perficerem ; rerum Analys in præmeditatus , à priori , quod ajunt , id est à generalioribus inde & confessis enunciatis , ad specialiora ex ipsis consequentia gradatim descendendo , procedere operam dedi . Quod & ipsum ut facilius pro plurimum Lectorum captu foret , dupliciter accuravi . Nam primò ; ex uno quodam generalissimo axiomate , singula Dogmata , vulgari in systematis ordine , contexere præterii : quod tametsi prolixioris præter institutum meum laboris fuisset , non magis ardui tamen quamquod pro Lectoris levamine , & simpliciori claritate prætuli : Nempe dum singulum capitale dogma , à singulo quodam generaliori confessioque Pronunciato , totum per partes suas deduco ; adeoque & de integro à priori . Ac id totum ita electe ut ea sic tractarim præcipua duntaxat Dogmata , ex quibus reliqua possint , attente Methodi filium extendendo , non operose derivari .

vari. Secundo vero, Tractatum in duas Partes divisi. Nempe non alia necessitate, quam quod in priori voluerim complecti faciliora; ea nempe Dogmata, ad quæ solo S. Scripturæ rationali usu stabilienda, minus consequentiarum aut veritatum elicitarum requiritur. Ac id eapropter feci ut expeditior utcumque ad secundam perveniret Lector; qua ea traduntur Dogmata, ad quæ solo S. Scripturæ rationali usu stabilienda, plus consequentiarum aut veritatum elicitarum usurpari deprehendet.

B. Posterius autem, quod ad Objectiones scilicet attinebat, ita quoque temperavi, ut præcipias quas Adversarii ex Scriptura seu explicite seu elicie desumptas objiciunt vel objicere posse videntur, non ex suis capitibus in uiam communem sylvam transtulerim resolvendas; tametsi capacioribus ingeniis, fortassis gratius fuisse; sed earum singulam classem, facilitatis gratia, singulo cujusque Dogmatis capiti subnexuerim; ac illarum quidem ex selectu talium, ex quarum refutatione, cæterarum confutatio pendet.

Eni^mitur qualis est mei Tractatus œconomia, & quam operam navaverim ad viam controversiarum, circumspecte abovo, quod ajunt, ordinendarum præeundam! Cui ut sedulo amplius commendandæ conferrem quod in quantum que dexteritate mea erat, omnem prolixitatem, & stylis seu dictiōnis, & rerum cæteroqui lectu for-

fortasse non indignarum , summa cura sic declinavi , ut ipsas quoque voculas , quin & ipsas quoque syllabas , compendifacere studuerim . Qua ratione speravi , Lectorem proclivius ad Libri mei examen se accincturum esse ; quin etiam ad laudabile mecum certamen , in sanctam hanc arenam expeditius fuisse descensurum . Ac ut in eam placide ipsum quoque provocarem , adducebat quæsitæ ædificationis amor : qui mihi sub libri finem pag . 388 . suadebat ipsum his verbis alloqui :

„ Quin & errores , lapsus , paralogismos ,
 „ quos aut forte deprehendes , (nam & homuncio sum ,) aut deprehendisse putabis ; mihi
 „ gratum feceris si annotas ; & si , modo pari
 „ mecum veritatis amore , in chartam conjectos
 „ diluis ; adque mei refutationem , per Typogra-
 „ phum evulgas . Imo gratissimum foret si Do-
 „ ctißimus Tu , quisquis lis , & Candidissimus in-
 „ ter omnes ; publico voto optareris qui proprio
 „ ædificationis zelo , mecum de veritatis palma
 „ configieres . Nam quanto clarius vel hinc elu-
 „ cer , nec Ingenio , nec Doctrina , nec E-
 „ loquio excellere ; quæ , Deo laudes , agnosco
 „ quam in me sint exigua : tanto quoq; clariusappa-
 „ riturum spero , Deum adhuc , quando placet ,
 „ ab ore infantium & lactentium fundare robur , ad
 „ splendidiorem veritatis triumphum .

CAPUT

C A P U T II.

Contra Catholicæ Religionis Veritatem opposi-
turo, quæ partes incumbant.

Quanquam vero is inter omnes Doctissimus & Candidissimus qui partes Opponentis contra me suscepit, satis animadvertiset seu ex ipso Libro, seu ex repetita nunc ejus Idea, in quo partes illæ consistant; eas tamen ipsi subiungere, nonnullum operæ pretium erit. Operæ autem facilis, quando illæ se ipsas quasi sponte ex jamic dictis articulatim exsurgent. Et, ut rem paucis contraham, siquidem ante omnia, generalem Controversiarum statum, non agnoscere non poterit hac quæstione proponi; An quod Ecclesia Mater ab omnibus tum agnita, per Concilium Tridentinum pro Reformatione fecit; revera fuerit illa tanta Reformatio, quantum ab experientibus expectanda erat? hoc ipso ut Doctor & Candidus, ultro ac libenter se mecum ex veritatis amore succinget ad sequentia.

I. Prudens ageret silentium de rebus, quæ nisi, ut summum, prolixitatem, ad rem conferunt nihil. Quales sunt exprobationes defectuum, nævorum, aut multifariæ corruptionis, in Ecclesiam seu priscam, seu posterioris præsentisque ævi, ex variis seu antiquis seu recentioribus Scriptoribus, insultando Catholicos jaculatae. Quippe quæ præter supervacaneam prolixitatem; certam

tam cum animorum exacerbationem, tum ipsius disquisitionis dissipationem inferre, nemo natas aptas nescit.

2. Doctus idem & Candidus Opponens, hoc ipso quod Opponens, quod Doctus, & quod Candidus erit; sentiet sibi impositum, meas pro Catholica veritate adstruenda theses, quas aggreditur, unice impugnare: Adeoque, N. alias in libro meo non contentas, nec sibi hactenus à me propositas, scopum sibi non præfiget. Et hoc quidem tanto causatius accurabit, quanto certius est, me, & capitalium Dogmatum, & rerum ipsa demonstrantium abunde satis & cum selectu attulisse, quibus vel solis stantibus, tota sit Religio Catholica. Cumque eadem Dogmata, qualia conceptissimis clarissimisque Concilii & Catechismi verbis expressa extant, eadem sint quæ afferit & profitetur Ecclesia; quæ. quæ negant & aversantur Reformati: amplius idem Opponens, ut supervacaneum laborem præteribit, Scriptores commemorare, seu consentientes, seu dissentientes.

Consentientes nempe illos, qui seu brevius, seu diffusius ea dogmata proponentes aut explicantes; exceptionibus captiosis ansam præbuerint: quando illa dogmata non adstruenda suscepit, nisi Ecclesiæ sensu obvio illo, quem Ecclesiæ sensum esse ipsi agnoscunt Adversarii. *Dissentientes* vero istos, qui contra sensum obvium, quicquam plus aut minus chartis suis al-

leve-

leverint : quando vel hoc ipso facto , Ecclesiæ improbationem incurront.

3. Principio autem , sola S. Scriptura rationaliter tractata , eo libentius & pressius mecum utetur , quod cum aliud nullum ipsi Princium agnoscant , animosius non potuerim ad eorum usque castra manum conserturus descendere. Hinc & omnem aliam , præterquam S. Scripturæ , Authoritatem seponens , authorum quorumlibet locaproterre , sive pro me , sive pro se facientia , ultro supersedebit : ac ibi quidem nominatim , ubi de textus ipsius sacrisensu aut intelligentia disputare volet. Nam dum Textus sacri rationalem usum , tantisper ad demonstrationem Fidei meæ solum advocavi ; ejus usum intellexi in eo consistentem ; a. ut ejus loca inter se conferantur ; b. ut ex locis collatis , veræ consequentiæ deducantur : ac id utrumque ab omnibus & singulis idicò voi propria mente sua , Rom. 14. quo sic omnis Authorum hinc , exest authoritas.

4. Denique idem meus Opponens , meæ Demonstrationis Methodum ut Doctus assequetur , ut Candidus insistet. Nempe a. Videbit ut hunc demonstrandi modum sincerissimum , atque ad claritatem cum penitiori , ampliori & solidiori rerum cognitione breviter & nervose generandam , aptissimum esse ; ita quoque secum reputabit , eum palmariam vim suam habere in generalioribus præmissis , quibus gradualliquidam

dam serie ad specialiora derivatis, emanat & procedit demonstratio. Ac proinde, b. Constituet pedem pede ita conserere, ut mea vestigia prosequutus, ostendat se veritatem exquisitissime elicere conari.

Nempe, in generaliora collimabit primitus; & ubicumque pro conditione rerum vires in illa suæ contendet. Exempli gratia! ubi Ecclesiæ Proprietates, & quæ inde cætera summi momenti pendent, demonstratus eram; probavi in antecessum, Dei consilium fuisse Novi Testamenti Ecclesiam sibi colligere, & constanter regere per Administratores verbi, & efficaciam Spiritus sancti abunde in ipsam effundendi. Istud generalius antecedens effatum, strenue impugnare debet si vir est; enervando, si qua fieri potest, tot, tantas atque disertissimas probationes tam ex veteris Instrumenti Prophetiis, quam ex Institutione, œconomia & promissionibus Novi à me prolatas. Nam quantisper illud Effatum his probationibus nixum, nondum bene refutatum subsistet; tamdiu cætera quælibet dogmata, ex ipso per certam deductionem manantia, concidere non possunt: & objections in illa, eorumque singulas probationes seorsim directæ; hinc inde quidem illa vellicare poterunt, & strictim non nihil fortasse concutere: sed statu suo non dimovebunt.

Alius exempli gratia! Ubi ostendere satago, Vicarium Christi Prophetæ, à Moze fuisse praeditum

dictum; quia S. Petrus locum *Deut. 18. 15:* --- De Ecclesia Christi consummati diserte vult intelligi *Act. 3. 20.* --- Enunciatum præmitto, si non iisdem verbis, eodem sensu tamen istud. Hoc vaticinium Mosis, de Novi Testamenti Ecclesia intelligendum; non terminatum fuit in una Christi persona. Ut autem si hæc propositione perstat, quæcumque ex ea derivo, sponte sua fluunt; ita debebit Opponens genuine processurus, illam primitus aggredi, & ejus probationes quas in ipso textu Mosis graphicè stantes evollo, solerter refutare. Nam quidquid cæteroquin contra consequentia molietur, utcumque strepituserunt aliquis, aut leves forte suggillationes seu percussionses, sed cardinem non elident.

At quia ratiocinatus sermo sèpius exigit ut ejusmodi Assertiones, præsertim plurimum lemmatum, nonnisi in longiusculo demum deductionis contextu propositæ extent; eapropter cumuli gratiâ succedet tertium hoc exemplum. Ubi Purgatorium accedo; post patentiora quædam, ego proprius hoc Effatum, sequentia instar radicis portaturum præmitto, ast in fusiore periocha diditum: *Electi in tempore justificati, absolvuntur apud Deum trinum à pœna eterna: sed Filio redemptori qui regnum & omne judicium accepit exercendum in tempore, pœnam temporalem luent, si ex Gratia sibi collata neglectu peccant.* Istud autem Assertum, attento Lectori facile ob-

vium ; sentiet cordatus Opponens sibi tanto diligentius aggrediendum esse , ejusque cum explicitas tum elicas è Scriptura probationes convellendas ; quanto clarius percipiet , validis inde consequentiis id enasci atque palam educi , de certorum fidelium post mortem pœnis , dogma , quod erat demonstrandum. Etenim illa Assertione irrefecta , quidquid in reliquias ei superstructas fuerit molitus : nonnisi forte frondes aut ramusculos decussisse poterit videri , ipso truncō superstite , ex quo sponte repullulant ; aut aliquot guttas ex latice dissipasse , ipsa scatente fontis vena , ex qua novæ statim afflunt.

Has præcipue partes incumbere , contra Apologeticum meum insurrecturo , nemo æquus rerum æstimator negabit : ut alias præteream quas istis supparestam vere Docto adeoque prudenti , quam vere Candido adeoque & honesto , ingenuus veritatis amor non suggestere non poterit. Illis autem rite insistendo , utique spes veritatis extricandæ , quæ Controversias diminuat , & exulceratos animos magis ac magis deliniat ; affulget jucundissima : dum hac , è contrario , Methodo præterita , nihil præsto magis extat , quam certa , ut minimum , olei & operæ jactura. Ipsam vero prævertere nequam omisi : quin ut saltem me præmunirem , silentii præsidium , si qua forte restulerit , conceptis verbis præoccupavi. Namque post ea verba in Caput præcedens ex libro mcoadducta , sermonem sic continuo :

Et

Et talis quidem ego , simplici sinceritate,
 sum factus infans & lactens , ut ingrederer in
 regnum cœlorum : talemque mecum agendo,
 prorsus experieris. Ac vel inde quoque est,
 quod in antecessum declaro : Si Tu , nempe,
 Religionem Catholicam contre me refutandam
 aggressus , non satagis ante omnia , scriptum
 hoc ex iisdem communibus Principiis refuta-
 re ; me nihil omnino tibi esse responjurum : si-
 quidem eo subsistente , tota quoque mihi sub-
 sistet & perstabit in columnis , Religio Catho-
 lica. Si tu porro idem destinas , quacumque
 patente rima prorepere , & in eos erumpere
 locos communes , de mentitis Miraculis : de
 profano Quæstu : de Bonorum Ecclesiasticorum ,
 nullo saepe ad Ecclesiam , at passim ad ignavum
 luxum usu : de Monachorum veternosa ignoran-
 tia & lascivo otio : de Cleri Mundana prolubie ,
 corruptisque moribus ; &c. Ad hæc quoque
 tam saepe excussa & discussa , nihil responde-
 re constitui ; nisi quod hoc unum ad ta-
 les fortean recoquendas crambes , præver-
 tens responsum hic appono. &c. &c.

C A P U T III.

Oppositionis Hulsiæ dimidium , est plenum Ignorantia ridiculæ : sicutque est vere Inanitas.

Postquam autem meus talis Apologeticus, in-
 tra temporis decursum spatio semestri mino-

rem compositus, ac modesta quam retuli Pro-
vocatione & Cautione velut obsiguatus, in Bi-
bliopolis venum iisset sub æstatem anni 1702.
tandemque Francofurti pro Nundinis Septem-
bris prostitisset; non desistebam sperare &
præstolari *Doctum illum & Candidum ex fratri-*
bus Reformatis quempiam Concertatorem, qui
pio & Evangelii, & Orbis Christiani, & sui
ipsius, quin & ipsius mei in Veritate exædi-
candi desiderio permotus; libri mei Doctrinæ,
censoria virgula sua recognitam & per-
strictam, *Docto, Candido, proindeque & pio*
Scripto evulgaret: quod & ad manus meas pro-
curaret pervenire.

Interea vero quidem, ab ineunte illo, quo in
expectatione sum, circiter biennio; jam mihi
referebatur, Publicum quendam Professorem,
ad mei Refutationem se accinxisse: Cumque
libenter hoc inaudiens, peterem quis igitur
iisset? Is vero referebatur Henr. Hulsi*s Theolo-*
gia Professor Tütnburgi. Ac non quidem il-
lud rejiciebam neque aspernabar omen, quod
secundum solet & favorable præsumi, si quan-
do res habenda venit cum viro, quicum ejus-
dem Spartæ necessitudo per plusculos annos in-
tercessit: undecim enim annos & ego, per idem
temporis, in eadem Academia, Theologæ Pro-
fessorem egi; de ipso nequaquam male meri-
tus. At verum tamen ut ipse mihi interius quam
facie sola notus erat & est, non difficebor quin

ad eū ut Opponentis mihi futuri nomen, pium
animū senserim, insuaviori frigore correptum
& contractum, amarescere.

Spe autem ad meliora quævis, & nominatim
ad aliū Athletam mihi forte committendum,
recepta, ac tempore sensim labente, confirmata;
inaudii tamen hoc anni 1704. Aprili vertente,
Hulsi librum contra me jā plures ante men-
ses typis excusum, in Publicæ lucis aura tan-
dem apricari. Ad quem nuncium, quamvis
codem frigente pectoris ingenui paroxysmo es-
sem attactus, nequaquam pigrabar inquirere;
num non ejus libri quem nec nundinalis Catalo-
gus, nec Bibliopolæ Colonieuses habebant, ali-
quod exemplar videre possem? Commodum
accidebat ut unius usura, ad usque diem hanc 25.
Aprilis fortassis hic unici, per triduum nec am-
plius, mihi concessa fuerit; eique pervolven-
do, nonnullum tempus, quatuor nempe & viginti
circiter horas insumpserim; nec plures.

Quid dicam? Animū & in hoc experiebar
fuisse mihi præsgum: si modo præsgus ani-
mus dici potest, qui ex certa cognitione cau-
sarum, præsentit effecta. Breviter! Summa re-
rum momenta, prout ab cursim evoluto volu-
mine, menti reposita fuerunt, ob Lectoris ocu-
los exponam. qui si non prægravatur eorum
quæ capite præcedenti legebat & approbabat,
recordari; ex tanto dilucidiori intelligentia
ipſi allubescet, commissam ab Opponente pu-
gnam arbitrari.

Est libro primarius, tum à frontispicio, tum in apicibus paginarum ubique regnans titulus, *Pseudo-catholice Religionis Inanitas*: quo sub lato & laxo titulo acervari posset, quidquid nunc & olim in Catholicam seu Religionem seu Ecclesiam dici potuerit. Neque omen fallet ejus libri Lectorem: qui si lustrare sustinuerit, ut equidem ego lustravi, quid rerum sub eo titulo compareat; suamque de iis sententiam, vel duntaxat generalius, exponere statuerit; non poterit non hærere: quum nempe mente recollecta, & circumjectis oculis ruminabitur, quid primum, quid secundum proferet; aut unde incipiens, per qualiumcumque dicendorum seriem qualemcumque desinet.

Est sane tota quanta, lenta Materies & defunctiones sic aggesta; obvia passim alibi, atque palam prostans. Est scilicet, historiarum tam Prophanarum & Ecclesiasticarum quam Sacrarum, frustulenta intrita: Est tumultaria S. Scripturarum & quorumvis Scriptorum prolata Authoritas: Est effatorum Propheticorum, ex vetere præsertim Instrumento, farrago passim confertissima: Sententiæ sunt aut periochæ & fragmina Poetarum, Comicorum præsertim & Satyricæ licentiae: Controversiarum ab origine per quascumque lacunas & colliquias trajecta recensio: Omnia rerum in Claves, partes, articulos quantumpote plurimos laceratio: In omnibus & ubique multiplicandi numeros im-

portuna

portuna ambitio : Rerum ejusdem argumenti multifaria disjunctio , & longe dispersa tractatio : Earundem rerum inutilis per varia loca repetitio : Frequens plurimarum rerum improvisa collisio ; ac earum seu diversarum , seu & earundem sibi ipsis manifesta , frequens , & multiplex contradictio : Unius ejusdemque simplificis rei , ab aliis aliunde seu obtorto collo adscitis , seu sic temere incidentibus , varia perturbatio : Locorum communium seu historica , seu didactica , seu polemica , inaniter quæsita recognitio , & supervacanea diductio : Lectionum Academicarum qualiumcumque seu publice seu privatum habitarum , rancidula exscriptio : Authorum qualiumcumque seu falsa , seu sublesta , seu mutila prolatio ; nec probatorum duntaxat , sed & aliorum seu ex parte , seu in toto tam à Doctis quam ab Ecclesia improbatorum ; nominatim vero illa Pauli Servitæ , tanto fastu repetita prælectio : quasi quæ ejus est Concilii Tridentini historia , cum non pervulgata esset , tum à Catholicis , hominis ejus probe gnaris , non merito suo rejecta .

Ut hactenus ergo sit quidam pinguis ejus operis Hulsianni conspectus generalis , isque profecto nimium pinguis & minime pulcher , nec auspiciatus ; negare tamen non est quin magnam Religioni Catholicæ jacturam intentet , eamque si diis placet , ultima fata tracturam . Neque idcirco jam possumus , quantocumque tedium

constare possit, propiorem ejus libri adspectum non exhibere. Itaque generalibus iis fontibus artibusque, undique velut per colloquias in omnes libri plagas emanentibus; Ecclesiæ Catholice ideam ubique præmittendi, occasionem captat ex argumentis singulo Capitum meorum tractatis: eamque ideam cum ab immemoriali ac interminato præterito, non secus ac posteriori tempore, permixtum repetitam; tum secundum promiscuos cujuscumque temporis, loci, professionis, famæ & fidei Scriptores à se conferruminatam & putide personatam; tum & extra omnes præstituti argumenti terminos, vague exporrectam.

Et quidem *Morum correptionem* in Ecclesia Catholica tam saepe notatam, neque de cætero negatam, ex iisdem fontibus haurit; eamque nullo rursus hominum, loci, temporis, circumstantiarum habito discrimine, usquam notare tam non omittit, ut eam, seu hoc ipsum, seu aliud agat, qua data aut arrepta porta vel rimula erumpens invadat, amplificet, infectetur, exaggeret, & compitalibus conviciis incessat; ex eaque ipsam Ecclesiæ Veritatem & Orthodoxiam censi intendat & æstimari.

Ast & *Fidei Doctrinam* Catholicam, una & eadem opera præmissam permiscet: eamque prout variarum opinionum, sententiarum, controversiarum, litigationum, factionum, ac de re quavis dissentionum labe, seu reapse vetitum,

rum;

gum, seu statim improbatarum, seu postea so-
lenniter condemnatarum, & ab Ecclesia tandem
procul eliminatarum, pertentata fuerit; aut
ubicumque demum, quomodocumque, quan-
documque, aut à quibuscumque seu deceptioni-
bus, seu extorsionibus, seu tubreptionibus ob-
scurata. Et hæc omnia rursum, illinc ex Mo-
ribus in Fidem; & reciproce ex Fide in Mores,
stylum prærupte trajectando: hinc vero Scrip-
turæ S. congestis verbis & textibus, seu obviis,
seu contortis luxuriando. Quin & hæc omnia rur-
sum permistione sic confusanea, ut argutum &
eloquens putare videatur, ubique procedere
spisse narrando, orando, dictando, anticipando,
retrogradiendo, provocando, irascendo, inve-
hendo, utilitigando, fastidiendo, irridendo, lu-
dificando, explodendo, exhibiendo, execrando,
res diversas conjungendo, contrarias copulando;
falsas defendendo, adoptando, configendo;
ne dicam ut ex autoritate loquendo, redar-
guendo, atque definite sine ulla usquam mors
aut hæsitatione, pro Dictatura pronunciando.
Quis tantam confusionem ordinatim recenseat?
aut ex tam pingui pulmento non arguat Henrici
Hulsi pinguedinem?

Utcumque autem hæc omnia hactenus dicta
se habeant; eatenus tamen in lrem' quadrare dici
possunt, quod revera tradant *Pseudo-catholice*
seu falso dictæ *Catholicæ Religionis inanitatem*.
Nam quod ad Mores corruptos attinet; eos non-
quam

quam mandavit, nonquam approbat, nonquam non prohibuit Catholica Religio, nec Catholica ipsamet Ecclesia. Quod vero ad Doctrinæ errores aut nævos attinet ab Orthodoxis tales agnitos, quales magnam partem illi sunt quos author adducit; eos plane similiter nonquam dicit, nonquam approbat, nonquam non prohibuit; & qua datum est, nonquam non eliminavit Catholica Religio, ac Catholica ipsamet Ecclesia. Et eatenus hucusque, rursum frustra su-datus est labor; frustra deſudata est hæc Inanitas: dumque eam ipſi totam concedit Ecclesia, has tales inanias in ſe inaniter contortas aspernari conſuevit.

Nonnulla tamen permista habet Noster in præcursoria ubivis illa Cathol. Religionis idea, quæ ſuo modo impugnant, & direſte colliman-tur in confeffa Ecclesiæ Dogmata. ſed illa cum non tot numero ſunt, quo flagrans authoris animus respirabat; tum protrita, proletaria, & millies ad nauſeam reponita, millies à Catholi-cis ſemperque refutata fuerunt. Nec certe di-gnaretur imposterum veneranda Mater, cuiquam filio ſuo confutanda imponere, ut nec ego niſi jussus, in me fufcipere dignarer.

Interea vero pergit Titulus, ac præfertur quaſi ſit illa Pseudo-catholicae Religionis Inanitas, oppoſita prætensa ejus Veritati, ab Huguenino puta venditatae. At certe titulus non magis in res quadrat, quam res in negotium authoris. Etenim,

I. Su-

I. Sumendo vocem *opposita*, pro *ex adverso posita*; nihil quam confusam habes ideam farraginis.

Nam i. Certe Pseudo-catholicæ Religio-nis Inanitas, non est in libro ab authore opposita, seu ex adverso posita Religioni Catholicæ; sed ipsi Reformatæ. Quo in est una ex illis elegantiis, quæ ut in uno titulo plures, ita & in tota ipsius libri œconomia & tractatione, visendæ resplendent. Namque postquam accurata illa, quam breviter lustravimus, res contrectandi methodo, Religionem per Mores & Doctrinam Ecclesiæ, promiscue & ante omnia ubivis exagitavit; tum vero adducit Religionem Reformatam; easque ambas adversa fronte inter se contendit: Ac id quidem alicubi sub continua-to utriusque filo per totum Capitis alicujus prodromum; ast alibi frustulatim. Positis autem pro lubitu suo dogmatibus Catholicis, sua sic opponit; *Nos vero hoc...* *Nos vero illud...* *Nos autem ita credimus, dicimus, docemus... &c.* At neque hoc minus prolixè pro sua Religione adstruenda, quam prius insudarat pro altera de-struenda; idque & secundum eximia illa, propria ipsi topica: qualia per totum librum regnare, semper recordetur Lector, ut repetere non sit opus. Verumtamen iis particulare quid hic accedit, nec injucundum relatu, nec mihi prætereundum. quod nempe sœpiuscule, frequen-tes illi *Nos, Nos, Nos,* tota illa Legio, sit unus ego *Hulsius.*

2. Sup,

2. Suppleatur authori , & putemus *Inanitatem* dici *oppositam* meæ Veritati , quatenus collatam cum mixtim demonstrata veritate Reformata. At tametsi Pseudo-catholicæ Religionis *Inanitas* , sic feliciter esset ab Authore opposita seu ex adverso posita Religioni Reformatæ , ut hujus tanto melius claresceret veritas , quod nullo deorum non ridente tentavit : attamen bifariam manet inanis & evanidus. Etenim,

A. Ejus religionem nondum refutavi , nisi qua ex parte nonnulla continetur Objectionibus , quæ in Catholicam Veritatem intentatae mihi refutandæ fuerunt. Sed totam ex professo refutandam aggredi , id vero alias operæ & destinationis erat : de qua sic Apologeticimi mei pag. 386. expresse scripti „Et hæc inter alias , quas referre „ nil attinet , una ratio palmaria erat ; quare quæ „ de Religione Reformata mihi meditata sunt , „ magnamque partem jam parata ; ego dum hæc „ scriberem , mutata sententiâ , isthic non anne- „ ñtam. Sed , volente Deo , non emanebunt ; „ quin ad Christi gloriam , errorisque coerci- „ tionem , non longo ab hinc tempore ea vul- „ gavero ex quibus si jam nunc prodirent , non „ nulli forte putarent me ad vanam gloriolam , „ aut alicujus sagacitatis ostentationem , scribere „ pruriisse. Ea videbitis , dilecti Fratres Re- „ formati ! quibus vestra Religio &c. &c.

Quum illa à me , si ita volet Deus , vulga-
ta posthac fuerint , tum Religionem suam sic de-
mum

mum refutatam ; adversum me sartam rectam præstare, & restabilire laboret ! At dum istud fatagit , antequam illud perfecero , in arena mecum non est ; quæ ampla satis ipsi patet qua meam Catholicam Veritatem refutando , vires exerceat si Vir est . Sed partes vellet commutare : & qui se non secus ac provocatum Opponentem , res bene ac strenue gerere cupit videri ; ad conflictum instantem terga vertit , & alio me vocat ubi sit Defendens : ego vero ut Opponens jam proferam ea quæ à me ordinem observaturo , & gradatim extricandæ Veritati litante ; in aptiorem illam aliam occasionem reservata sunt , quam adeo diserte in libro meo præcautam non legisse non potest .

B. Veritatem suæ Religionis , ex Pseudo-catholicæ inanitate reflexam mihi opponendo ; vere inanis & evanidus est . Nam quid est Veritas Ref. Religionis , quæ reflexa ex Pseudo-catholicæ inanitate , Apologetico meo sit opposita ; quid est , quid sunt nisi inanes inaniæ ? Attamen inani hoc unico modo potest authoris institutum excusari : nisi forsan terminis mutatis dicendum sit , ipsum Apologetico meo opponere Pseudo-catholicæ Religionis Inanitatem , fœtam & resplendentem ex reflexa luce Reformatæ Religionis , ex adverso juxtim positæ . Atqui hæ sunt adhuc inaniores inaniæ .

III. Ut ergo suam Pseudo-catholicæ Religionis Inanitatem , revera per omnia rerum Capitæ

pita opposuerit in toto libro, Religioni Reformatæ; neque de sola potuerit dici, meæ Veritati opposita, nec reapse ei sola opposita fuerit: ergo suppleamus adhuc, & putemus eam *Inanitatem* ex animo saltem & destinatione Hulsi, solam opponi *Veritati* meæ; nihilominus inanis & evanidus est. Nam.

A. Ista profecto verba, *Inanitas opposita Veritati prætense*. (aut, Latine loquendo, *falso venditatem*, ac proin quæ & ipsa est *Inanitas*;) sensum omnino qualemcumq; nisi meræ ab omni Veritate & Realitate vacuitatis, ejusque quantævis abyssō paris, utrinque nullum continent: quin nec continere possunt, quando non velit ita suppleri, ut *Inanitatem* intelligat fœtam & res fulgentem ex reflexa luce Reformatæ Religionis, ex adverso, & quidem proxime juxtim positæ. Uno verbo! *Inanitas* opposita prætense Veritati, jam non potest non esse inanissima. rum inaniarum inanitas.

B. Utut supplementum juvemus hac suppositione, *Inanitatem* non esse inanitatem, sed esse aliquid; manet tamen inanis & evanidus author. ea quippe *Inanitas* hic loci, ubi tota inreposita Ref. Religione, disternata est ab Apologetico meo; non potest illi opponi aliter quam utcumque vel Antipodes utrinque sibi sunt oppositi; id est oppositione tali quæ ne utrinque quicquam elucescere facit aut facere potest: vel ut Luna in Capite vel cauda Draconis Soli

Soli opposita, id est in interpositæ Telluris umbra, Ecclipsi plenaria laborans. Ita scilicet quod author tam operose interjecit de Religione sua, vim contrapositionis quæsitam omnem, vel solum interfringeret.

C. Ast supponamus etiam, Terram è medio tolli, & nulla interpositione, Authoris *Inanitatem* esse contrapositam meæ *Veritati*! Dico ergo, illam *Inanitatem Veritati* meæ non aliter opponi, quam ut Luna in coniunctione juxtim Soli contrapositas & id est omni luce amissa & à Sole absorpta, evanescens & invisibilis. Vel, cum non una cognatio sit inter Lunam & Muhammedem; *Inanitas* authoris, ob erit posita meæ *Veritati*, ut Alcoranus Evangelio.

II. Verum tamen vero, ut nullam æquitatis vel duntaxat speciem omittamus; sumatur vox *opposita*, in sensu activo, ut sit idem atque se *opponens*, se *exferens*, ac argumenta & objections sufficiens & jaculans in *prætensiæ* *Veritatem*. Atqui sane manifesto se jam exsertat authoris mirifica scientia; cuius in libro *Inanitas* sit aliquid tam actuosum & efficax, ut se habeat ad instar Legionis cujuspiam fulminantis; vel & ad Iovis ipsius instar, in Deas sic excandescentis; *Quandoquidem nullum capit hæc discordia finem*, Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine *hæc* *habebo*: Ac proin cavete vobis Catholici! *hæc* vos *Inanitas* petit, ac obvios quovis obtruncabit & perdet. Vela etiam erit forte in

Au-

Authoris libro , quod Ægis in manu Palladis ; unde caput Medusæ , solo vel adspectu mutabat intuentes in Petras & saxa . Neque certe minori virtute opus est , quin & non paulum majori , qua fortissimam rerum , *Veritatem* demonstratam , objecta Inanitas mutet in *Prætensionem*.

Ne putet tamen Noster , eum me jocularem esse qui ipsum jocos faciam & ludos inanes ; plenam planamque rem facio . Ejus Inanitas hic intelligatur opposita active , sive se oppouens , & objectiones in meam Veritatem suppeditans ! Dico ,

1. Eximia illa scriptio qua Catholicam Religionem sic inanivisti ut sit *Pseudo-catholicæ* , ipsaque scriptio , ejus Inanitas ; an talia vere continent , quibus argumenta contra meam Veritatem clare contorta sint , vel & clare conterqueri possint ? Nullus ea Lector videbit . Sed forte quærenda erunt ! Igitur dico ,

2. Quis tenebitur , quis volet argumenta contrame per illud inane palando pescari , per illum inanitatem palpando ruspari ? etiam si quam maxime putaret iri tandem à se repertum ? Quin potius si aliquanto minus pinguis sapisset , tantummodo schedulam hoc sensu edidisset : *Scriptura S. à me sit opposita Catholica Religionis prætensa Veritati ab Huguenino edita* ! quandoquidem multo clarius extant in Scriptura , quæ Reformati nobis aduersari putant , quam

in hoc libro Henr. Hulsi. Sed annon Adversarii solent libros scribendo refutari ? Dico,

3. Non solet , nec potest Adversarius qui de disertis & expressissimis capitibus, disertas & expressissimas theses proposuit ; revinci totius dissentientis systematis promiscua , confusanea, & mirificis tricis intricata oppositione. Quin si ita placuisset , plane tacuisset author ; veldunt taxat schedario lum manu propria scriptum , e-vulgari curasset : *Panstratia Chamieri* , vel *Amesii Bellarminus enervatus* , vel *Croci Anti-Becanus* , vel *Maresii Anti-Tirinus* , à me sint oppositi Religionis Catholicae prætensa Veritati ! Et certe tanto melius fecisset , quanto in illis expeditius & clarius impugnatur Relig. Catholica. Sed & quia fusiores sunt ; & quia vere Docti , qui eos jam norunt , hodie minus quam unquam delectantur libris prolixis , ubi breviores rerum substantiam non incommode , quia & saepe nervosius complecti possunt ; imprimitus prudentissime fecisset , si pro generali sua qualicumque demum Religionum discussione , rem totam demandasset ipsi *Drelincourtio* ; ipsumque mihi opponendum , pronunciata & excusa typis sententia sua , palam decrevisset. Nam is in suo libello , *Controversiarum epitome* , pluria & selectiora , omissis pseudosophis ambagi- bus & incrustedamentis , exhibit & ordine disponit , quam tota Pseudo-catholica Religionis inanitas

Inanitas: eaque omnia, more, modo, & sermone, qui virum modestum & prudentem multo minus dedecent.

Quando tamen etiam is liber, ab annis circiter octogenis in mundo pervulgatus, editionibusque non paucis multiplicatus est: non video qua ratione Noster eam tantam laboris sui partem sapientius redimere potuisset, quam si totam profunde sepeliisset sub silentio. Neque enim hoc solidum totius Inanitatis dimidium, in quo tituli totum promisso, præteritis omnibus disputandi legibus, defunctus est; poterunt Lectores si quos habet, cum illo incredibili ostendandæ summæ eruditionis typho tacite pentire; quin tot & tanta veræ Eruditioni contraria, & crudam Ignorationem spirantia observent, ut ora tandem diducant, & dubioprocul erumpant in cachinnos.

C A P U T IV.

Oppositionis Hulsiæ dimidium alterum, est plenum Improbitatis veteratoria: & sic vere est Inanitas.

Altera pars libri, computata ut præcedens, nempe res ab initio ad finem discriminando; est ea qua post præcursoriam illam Religionum anti-

auctiothesin aut oppositionem , singulo Capitulo
meorum præmissam : Author demum videtur
ad Certamen vere ineundum se comparare , &
ad me tandem impugnandum , librumve meum
refutandum , serio se convertere . Sed , ut di-
xi ; tantummodo videtur . Etenim quis Le-
ctorum emensus illam præcursoriam Religio-
num oppositionem , singuli in *Inanitate Capi-*
tis dimidium implentem ; non sentiat eam , cum
ad rem nihil conferre nisi tricas , tum eo nomi-
natim destinatam esse quæ attentionem præoc-
cupatam distrahat & dissipet , ac velut obscu-
ra quædam ex pulvere nubes longe lateque per
aerem excitata , spectatorum oculis caliginem ,
totique Palestræ noctem offundat ? ne quis nem-
pe , vel possit , vel & sacro ejus noctis hor-
rore tactus , velit vel ausit se gerere arbitrum
pugnæ aut testem , quam alioquin Authori tam
male cedere videret ?

Attamen nequedum istud Athletæ nostro
satis est : cumque postremo saltem deberet aper-
to Marte congregi ; ex pavore nihilominus tam
rurpiter manifesto , quam impotenter dissimu-
lato , adhuc cunctatur , restitat , statariamque
pugnam fugitat . Nam velitatione nescio qua
denuo præludere solet ; qua equidem vult is vi-
deri & jactari , qui de victoria jam jam sibi re-
portanda , ne vel minimum quidem ambigat ;
qui que tam imparem sibi contemptibilemque
hostem exemplo sit obtruncaturus ,

C

Hoc

Hoc fere agit. Intricata non pauca solet præfari, quæ seu Lectori, seu præterim mihi haetenus ignorata, ridicule arbitrari videatur. Ex antea dictis, quin iis interdum jam non semel repetitis, nonnulla huc postliminio, nauseanti Lectori reponit; ad tractandam puta materiam, animum præparantia. De novo Locos communes, quasdamque frigidulas Lectiones suas, huc obtorto collo pertrahit & repræsentat. Quæ Catholicis, quæ Reformatis sit sententia, perinde ac soli nota foret, interibi inculcat: quin & id tanta cum phantasia, ut Religiones ipsas, certosque earum fines ponere, a eosdem figere & refigere; ad ipsum solum jure pertinere credas. Nonnulla mea in antecessum & quasi aliud agens, variis modis præoccupat, ex quibus facilitatem imminentis certaminis & victoriæ, sibi putat comparari: Debiliora enim sic ipsi visa, dissimulando unde sint, divellit, & hanc in prolusionem protracta suggillat, traducit, & exsibilat: quæ vero præstantiora, sibi que haetenus ignota sentisicit, ea itidem dissimulando unde sint, quacumque demum arte potest, velitationis suæ facit; sive de illis loquendo, pronunciando aut arbitrando, quasi unquam sibi ignorata fuisse non putandum sit; sive illa, cum sibi invicta fore videt, vel furtim expilando, vel morsificatim vellicando, vel cuniculatum suffodiendo, vel & si quo suo potest attractu foedando; sive quoque illa, juxta ac si nihil forent,

ac se mox opposituro indigna esse vel revera ignare putet , vel subdole fatagat credi , contemptu exscreibili rejectando , ac modestis suis *Vah ! A-page !* saepius interjectis , proscribendo , quasi que Tenedia securi exterminando . Ast & aliæ plures sunt nostri prælusoris technæ , quibus meæ Veritatis vim saltæ elusisse possit apud suos videri : sed quid jam hic plures apludas , aut pitheciæ gesticulationes morer ?

Neque profecto etiam pertendo negare , quin difficile quid adorsus , excusati nonnulla peccet ; modo ut ex præventæ tenuitatis & imbecillitatis propriæ conscientia , eum duntaxat peccare constet : Et sua bellatoribus stratagemata , quis unquam nonignovit ? Sed est aliquis tamen in illis modis , quem ultra si procedunt , & quid ab excessu criminosum habent , justo sunt virtus perio : minimum , Temeritatis ; imprimis si appareat , certamen sponte , & necessitate nullæ singulare cogente , fuisse susceptum . Quid , malum ; dicunt homines , sic imprudens & impar , fortiori pugnatum veniebas ? Quid , maius , domi tuæ tecum non habitabas ? qui cunctos in consilium advocatos sensus tuos , cunctaque opes & vires enixissime contentas , supplerere laboras artibus , technis & dolis omne genus ; nec tamen aliud facis , quam tuo das vituperias , & ludibrium mundo ?

Nescio equidem quam intrepidus miles Hulsius fuisse , & quam strenue stipendia meruisse

in Castris Bellonæ. hoc saltem videre est ; ipsum à lequiori parte , versutia scilicet , fraudibus , fallaciis , hortendorumque scelerum studio , non futurum fuisse ipsi Ulyssi imparem , nec ipsi Sinoni. At vero nunc tandem , quamquam sero , discat homo musteus pariter ac veterator ; omnes ejusmodi artes in Castris Minervæ , ingenuoque Sapientiæ præsertim Theologicæ Campo , ne flocci quidem fieri ; ac in eo diverbum hoc , *Dolus an Virtus quis in hoste requirat* , tam obtinere non posse , ut quantum adest dolorum & fraudis , tantum detrahatur virtuti. nec enim dumtaxat doli , penuriam virtutis arguunt , sed & tot quasi tela sunt , directissime in ipsum jaculatorem retorta , ac certissimum vulnus infligentia , vix ac ne vix medicable. Quale quum forte fortuna spectaculum obtingit , tum vero demum indignabundi dicunt homines ; Quid , malum , sic imprudens , impar , præstigiisque fretus , huc bellatum & disceptatum veniebat is homo , ac sacras hujus militiae leges temeratum ? Ut quid domi suæ contentus & secum habitans , res sibi non habuit suas Eurybatus ille ?

Ac perfecto si de Nostri pugna , id tale præludium jamjam secutura , ex eo tali præludio præjudicare licet ; fraudulenter decertabit : adeoque & ejus infelicitas exitus ignominiosas exprobationes , tanto majori merito suo reportabit , quanto jam clarius percipitur , ipsum se

im-

imparem futurum prævidisse ; qui non nisi ab hac vafra tergiversatione , impressionem facere audeat.

Quænam illa impressio , aut certaminis commissio est ? Illam per generalia rerum momenta ostendam . Et ,

I. Ullas opponentis partes huic arenæ proprias , quales Cap. III. recensendas exhibuimus , ut generatim per totum librum nonquam , ita neque hic observat . 1. Nec enim intra libri mei , neque ipsius Concilii Tridentini fines , vult *Materiam disceptandam circumscribi : evagatus quo & quando ipse consultum videbit.*

2. *Solius Scripturæ usu , eoquer rationali , aut in veris consequentiis legitimo uti , non equidem ausus est apertis verbis improbare , mihi licet ubique contradicere gestiat ; quia prægnantissima est in Catholicos , Reformatorum querela , Scriptura sola non agi . Quin & ei querelæ ut etiam velificari videatur , ex semet extorsit aliquantulam mei laudem ; qui VValeburgiis , ex : gr : & quior , & qualem utriusque controversiæ campum complanarim . Quod cum invitus faciat , mihi statim oggannit de eo Scripturæ usu rationali ; ut qui non edifferuerim quid per rationem intelligam . quasi vero hic non sufficerit tam sollicita & frequenti cura inculcasfe , me per Rationem intelligere id lumen quo Deus ejus fax & author homines illuminat , & in conscientia convincit attendentes ! per rationalem*

nalem vero usum, intelligere usum in attentio-
ne, discretione, prudentia consistentem; uno
verbo, legitimum ob omnibus agnatum! Tan-
demque se deinceps ostendit Scripturæ tali usu
non contentum; dum & ipsi addit alias Autho-
ritates; & nominatim suam, ut quandam Judi-
cii discretionis normam.

3. *Methodi meæ vestigationem*, ad res libri
mei impugnandas attendendæ; nullius pensi sui
facit.

Ac istum quidem in modum se gerit Noster:
a præsertim ratione, ne suam imbecillitatem
oculatis Lectoribus nudam nimis objiciat. Sci-
licet, **a.** quæsivit patentiorē campū; per
quem nempe discursando, abdere se posset, &
quandocumque vellet, post carecta latere. **b.**
Uni S. Scripturæ non inhæret, quod ita præ-
repta foret ansa, variæ eruditioñis latifundium
ostendandi, & sic ad latibula confugiendi. Ne-
que ejus S. Scripturæ usum, vult solum ratio-
nalem; id est, cum Authoritatibus, tum no-
minatim Conjecturis sepositis, sola Veritatis
eliciendæ solertia stantem: Et hoc etiam idcir-
co, ne pariter cum Eruditioñis explicaudæ, tum
præsertim propriæ Authoritatis per Conjectu-
ras exerendæ & exercendæ, ipsi periret occa-
sio. Conjecturas vero speciatim, quantum ad
ipsum attinet, Propheticas intelligo: quibus
tanto magis indulget & luxuriare amat, quanto
se magis inidoneum sentit, acceratas aut vere
ratio-

rationales ex Scriptura sequelas percipere ; ne-
dum deducere & pertexere sucipiat.

c. Methodi vero meæ , cuius sinceram ideam
à præfatione exhibueram , vestigationem de-
clinat , ideo similiter quod ad eam vestigandam ,
sentiscat ingenii sui , scientiæ & exercitationis
modulum non sufficere : breviter ! ideo quod
eam non intelligat. Enimvero abunde satis
futurum esse autumat , quod eam alicubi *Mathe-
maticam* , ironico naso vocaverit. nimium quan-
tum , scilicet , & in Mathesi , & in bonis
Artibus , & in Dianoetica universali doctum
se prodens : qui nesciat res ex fontibus vel à prio-
ri , per catenatam quasi evidentiam descendendo
demonstrare ; veram demum esse , ut *per causas*
scientiam. Tantum scilicet abest , ut didicerit
quod jam ipsum monebo , quodque ipsum do-
cere potuissent vel ipsi gregales veræ Scientiæ
studiosi Verum nempe de quibuscumque re-
bus , seu ex Natura , seu ex Revelatione pro-
positis , ratiocinium , tam breve quam longum ,
tam simplex quam compositum & compositissi-
num ; vim omnem evidentiamque suam arces-
sere ex theoria Proportionum ; quæ nativam se-
dem & indolem nacta est in ipsa Mathesi. Sed
quid mirum Ars si divina , talem hunc habet
osorem ?

II. Veritatis generatim consideratæ studio ,
amore , reverentiaque nulla ductus ; à capite
ad calcem incedit armatus ,

1. **Licentia**, hinc negandi & inseständi manifeste vera : illinc , manifeste falsa afferendi , communiendo & exornandi ; prout utrinque vel minima fucum faciendi , seque ut sepiam quandam atramento suo circumfundendi commoditas appetit. Ad quod utrinque etiam instructus venit ,

2. **Veteratoria** sutilitate : hinc nempe Scholasticorum & Sophistarum ludicro à fallaciis & æquivocationibus apparatu : illinc vero Rabularum dieteriis , strophis , emarcidiisque grphis , quotquot ab exploso inter doctos ludorum pulvere & quisquiliis , potuit vel propriâ , vel aliorum opera converrere , & collecta feligere . Sed & bene comparatus accedit ,

3. A minacis & torvæ frontis vultuosa & corybantica pertinacia , qua ubiubi sentit veritatem , nec per suas præstigias , nec per objectum palpum facile ab aspectu subduci ; os sibi exterget , & se procaciter adsistit ac si dicat , Palpum non objicio ego , nec hariolus sum nec præstigiator . hæ meæ non sunt artes ; aliorum hæ sunt artes : dum interim intestino & cruciabilis tremore ringitur & infrendet miserandus Alastor & Heautontimorumenos ; ac nihilo secius obstinato corde premit dissimulatque dolorem , dum & ore despumante , Veritati insultare & conviciari tamdiu se obfirmat , donec putet impotentiam suam non prorsus nudam aspectum iri ; nisi fortean à paucissimis illis , qui librum suum

vel

vel legere , vel attentius excutere seu apti seu dignati , non tamen vellent se tanti probri buccinatores ab hominibus monstrari.

III. Veritatis ipsius Evangelicæ studio , amare , reverentiaque nulla majori ductus ; omnia quantacumque in libro meo scripta , per quodcumque nefas exscindere , & in oblivionis orcum præcipitare jurato destinavit . omnia tamen profecto vel diserta Dei verba , vel manifestas ex Scriptura S. ejusque conciliatione consequentias ; vel utique saltem , quæ minoris videntur momenti , manifestis illis consequentiis succingi , reverenter elaborata.

Enimvero quidem fatendum est , Nostrum ad illa omnia nimis quam lusciosum , rudem & ineptum se prodere : at non eo tamen usque ut de Christiana Religione libidinose profanata excusari valeat. Contra : nam ipsa illa quæ non intelligit , eatenus intelligit , quatenus percipit seu tota , seu parte sui aliqua , seu præsertim suo cum rerum momentis connexu , tum captns sui non esse , tum à se refutar non posse ; nisi qua refutatione terrenæ quædam animantes , vel Solem , vel Lunam , clare satis sibi perceptam , aut fremando , aut se contorquendo , aut baubando refutant. Adeo ut ejus circa res illas tam perceptio quam ignoratio , improbae temeritatis crimen intendant. Percipis esse tibi ignorata , dicet aliquis , & confutare laboras ? Ignoras quousq; percipi possint , & confutare laboras ?

Igno-

Ignoratio rei percipiendæ & controvertendæ, temerarium te duellatorem non arguit? At saltem ipsius tuæ ignorationis perceptio, te improbum, & sacra hac in Palæstra, te profanum opponentem non redarguat & refrenet?

Hanc vocem à conscientia non potuit identidem non audire Hulsius. quod nec mea duntaxat conjectura est: nec certa quædam aliunde orta persuasio. Ex rebus ipsis omnis Lector juxta ac ego hanc persuasionem certissimam hauserit: neque tantum ex rebus huc usque recensitis; sed quam maxime ex consideratione modi quo libri mei Positiones & Demonstratio- nes invadit & tractat. Operæ profecto non levis est, seu numerare, seu potissimum, in ordinem vel classes qualitercumque distribuere histrio- nales artes, quibus ingenuo Lectori os sublinere insudat. Et sane præter pauca quædam seiphs non rejicula, sed pro ejus more, tumultuarie ex aliis descripta, & sæpe Authorum ingratissimis huc infarcta; nil prorsus agitat Veteratore quodam aut Circulatore non dignius quam honesto viro.

I. Nam quod ad ipsum Apologetici mei contextum attinet; in ipsum sibi nihil non licere putavit: ut quem ad instar alicujus Schemæ aut Bardocuculi, quo volet humani corporis statu adaptet ad palum quicum umbratili pugna certet. Etenim, truncat, dissimulat, imponit, cavillatur, corrumpit,

Tex-

1. Textum libri mei, quam paucissimis potui vocibus nusquam redundaturis compositum, non solet integrum proponere ; uti quidem Laconismus meus exegisset. Neque solet ex eo res ita decerpere, ut ipsa mea verba & propriam dictionem retineat intactam : quo nihil religiosus observat Candidus opponens ; nisi sicubi manifestum est , eum utcumque commodius quam ut fecit Defendens , sensum exprimere posse. Quid igitur ? Textus nempe mei, perinde ac si posset, & quidem ab ipso nominatim, facile posset contrahi ; ubique seu longiores, seu breviores pericopas arbitratu suo putatas , plus minus coarctat : ac ita quidem coarctat , ut clare perspiret libido , eas, si fieri posset, ad nihil redigendi quod & passim passimq; minus iniuste ferrem quam quod intolerandum factitat. Namque verbis meis , solœcam suam barbariem Oscumque stylum suum substituens , eadem opera res ipsas mirifice cauponatur: Quippe,

2. Dissimulat palmaria quantum ubique potest: aut etiam circumcidit ex meis ea quæ præcipue orationis meæ caput, cardinem, aut quasi clavim continent : vel eorum saltem eam mentionem facit, quæ aliqua seu recisione, seu vocis unius & alterius mutatione , totum sensum elidat. Verum etiam subinde ubi videt mangonium suum posse versutius incrustari ; illa quidem præcipua, vult tota referre videri ; dum tamen alia quædam quorum subtextura nituntur & cla-

& clara resurgent, subtrahit, aut præstigiis obnubilat. Quam contra geminam dissimulationem, etiamsi vel sola foret ; nullus unquam sermo sic stabit, ut non seu enervis, seu absurdus, seu fatuus, facile prostitui possit.

3. Imponit quidquid audet : audet vero quam audacissime. Imponit enim mihi a. talia, de quibus ne sumniando quidem cogitavi, ac ne fando quidem audivi : quorum adeoque nec minimam ansam præbui : b. talia quorum è diametro contraria ita disertissimetrado, ut hominis impudens protervia probrofi sit spectaculi. Et adversum geminam hanc imposturam, quis humanus, quis divinus sermo vel liber sic stabit, ut cum enervis, absurdus & fatuus, tum etiam veræ Scriptoris sententiæ quotiscumque modis contrarius, imo & jocosa Dodonæi sonoris image, planissime non possit traduci? Itaque jam tandem hanc larvam lacestere ac viriliter aggredi, tantopere, ni fallor, periculosem Athletæ nostro non erit : attamen eam, nil certe mali cogitantem, saxe de novo ad palum suum aliter aptat, mutat, fingit, dissingit.

4. Nempe post contextum meum in illam egregiam epitomen tam cordate contractum, credas eum in ipsam sine majori cunctatione, refutationis molimen intentaturum, argumentaque sua parata propositurum. Ast non raro cunctationem adhuc quampiam interponit : eamque frequentiorem in me carpendo, & directe seu

indi-

indirecte, ex larva sua æstimando ; utpote qui adeo jejunè argumentum meum tractaverim, ut ad hæc aut illa in meis demonstrationibus non attenderim ; imo ne tacta quidem proflus præterierim. In quo etiam se eadem perspicacia & candore præstantem, qua & in reliquis ubique prodit. Nam illa quæ à me omissa causatur, talia sunt, seu quæ non ego, sed ipse in suo compendii mormolucio, prudens imprudens omisit : seu talia quæ ad rem nihil facientia, consulto summovi : sive talia quæ ad rem non nihil pertinentia, complexe in aliis & velut in transitu, quod satis esset, tetigi : seu talia quæ ob facilitatem obviam, animadversionem non merentia, nequaquam memorare curavi : seu etiam talia quæ diserte cum aliis inserui, qua ad rem meam accommodata comprobando, qua ut frivoli commatis rejectanea enervando.

§. An utcumque tamen ea quæ causatur omissa supplere satagit ; ut saltem umbraticus ille palo suo stans Antagonista, aliquali seu oris aut linamentorum ductu ; seu specie, aut staturæ positu, talem qualēm Huguenini similitudinem habeat ? Non : nam quis scit num non adhuc terretur ? Igitur id suum phantasma quantum potest amplius diffingit ; & miserum bardocuculum ad abjecti cothurni sortein deprimens & affligens, ita versat, plicat, replicat, figit, refigit, format, reformat, ut vix ullum supersit, ullius agonistæ aut adversarii phasma. Hoc di-

co : illam textus mei à se quo dixi modo contracti venditatam substantiam , quasi jam non est textus mei depravatio , iterum depravat ; idque variis modis ,

a. Perturbando : nempe rerum à suo quem habent à me situ , transpositione , disjunctarum conjunctione , disparatarum connexione , connexarum disparatione & distractione :

b. Separando res unas ab aliis , aut potius exportando ; nempe dum qualemcumque allubescit lemma thesis cuiuspiam meæ à se divulgum , solitaria ventilatione discutit : quasi qui ipsum statarium pugilem , in palo à se Bardocucullatum adhuc formidans , fimbriam audacter admorden- do , satis periclitetur . fere ad instar domestici canis , qui pannuceum quoddam mendicabulum prosternere nec ausus nec potis , ex ejus centone peniculamentum avellit , in quod gravem ex- candescientiam suam exerceat , & tremenda indignationis suæ exemplum reliquat spectatori- bus . Nec inde vehementer abludit quod fa- cit ,

y. Affingendo mihi tanquam argumenta , res quas duntaxat ad ratiocinij à me pertexti ideam , seu quadantenus explendam , seu illustrandam & facilioris conceptus reddendam , seu & commoda totius habitæ ratiocinationis complexione fi- niendam , hinc inde interserui . Quo & ipso inanem operam navasse non temere putandus ve- nit , siquidem non unum spectrum lacessere , sed

quot-

quotquot posset plurima effingere atque debellare sibi præstituerat.

II. Responsionum mearum ad Objectiones adversarias singulis capitibus à me subnexarum, nihil candidior est impugnatio. Nam,

1. ipsas Objectiones, artibus suis sicubi potest, illudit; nominatim causatus eas non magui pendendas, quas à me factas taxat: quasi propterea minus qualemcumque momentum suum habent; vel minus solidam earum refutationem, ab ipso Lectores expectarent.

Eas in diversum à meo sensum & scopum, prudens impudens, non raro evergit.

Eas adauget numero; magnum quid se præstare ratus, si & in hoc inscitam suam multiplicandi scientiam, gratis ostentaret: quum per totum librum meum in eo totus ego sim, qui controversiarum minutias meditatione supergressus, omnia ex primis qui in confessio sunt fontibus, iisque quantum fieri datum est, paucissimis, derivare studuerim. Quo ex prudenti instituto, sategi Objectiones cum eligere generaliores ex quarum refutatione, aliarum manaret refutatio; tum & illas ita disponere, ut anteriores, qua fieri dabatur, posteriorum momenta compluria completerent. Ubi autem hic processus, eò mihi deductus erat, ut quæ reliquæ subsequi posse videbantur, ejus non essent ponderis quod antecedentium illarum Sylloge non jam contineret; eas sciens voleus præter misi, &

fami-

familiariori catechumenorum scholæ relicui.

Istas vero tamen repetere, & tanquam mihi ignoratas crucemque fixuras ostentare; infra Scriptionis Athleticaeque pugnæ suæ dignitatem non futurum, vere judicavit Opponens: utpote non tantum adversarios sibi configere, sed & sibi suppetias plures Lemures excitare posse, fidem de se facturus.

2. *Responsones vero meas ad dictas Objectiones excusffurus*, iisdem utitur solitis sibi machinationibus dishonestique technis: & nominatim de integro mutilat, perturbat, separat, imponit. Sunt autem illæ responsones meæ ad plerasque omnes objectiones, non unicæ, sed plures; ac ea semper serie meditata ordinatæ, quageneraliores præmissæ, sequentes specialiores ita antecedunt, ut vinculum quoddam aut nervus, sensim substringatur magis, & compressius adstringat.

Itaque eas Noster a. ante omnia ubicumque potest mutilat. b. Mutilatas perturbat: si non integras transponendo, at subinde, ordine contempto, unius fragmen aliquod cum alia quadam, ejusve quodam fragmine contendendo: unde satis superque perturbationis ad nervum abscindendum Histrioni suppetit. Sed eas quoques. c. separat, dum prudens imprudens dissimulat manifestum quem hæc aut illa nexus cum aliis habet, eamque solitariam ab aliis eximit, ac considerandam Lectori exhibet: unde

fatus

Satis superque Temeratori suppetit , quo ener-
vatum exagitet , & sic generose debellatam,
suis addat triumphis.

Nequedum sui tam immemor est , quin mihi
Responsiones danti , etiam d. Imponat ; dum
non tantum mutilans , sed & de suo adjiciens ,
eas mihi quandoque responsiones ; imputat , quæ ,
seu nullæ sunt & inanes , seu sensum habent inep-
tum absonumque : dum & hic etiam pro æstuan-
tis nequitiaæ suæ exoriente quodam paroxysmo ,
ea non vere cundatur nihi per manifestarium &
trabale mendacium adscribere , quorum plane
contrarium in verbis meis apertissime cernere
est . & isthinc profecto satis superque Impostori
suppetit , unde cum ipsum Satanam in Angelum
lucis , tum quendam Angelum lucis in Satanam
transfiguret . Ac bene quidem habet quod
Deus ille pacis , promissionis suæ memor , Sa-
tanam sub pedes nostros conterat .

At vero tamen quidquid hic etiam intertri-
menti in librum meum moliatur , id ipsi tam
male succedit , ut quæcumque ipse mihi respon-
sifare laborat ; cum numero , pinguique mole
sua sine ictu procidant ; tum auris temere mo-
ventibus , in mare Creticum tanquam scopæ dis-
solutæ aut sordes projectitiae , portentur ventis
tudibria . Ac ad omnia illa quæ in ejus hominis
scriptiuncula , contra me objecta visuntur , ani-
mum tranquillum advertens ; honesti viri fide
puraque mente protestor , me ut non novisse

unquam librum, æque insolens, indignis, impudentibusq; genus omne modis pertentatum ac quidem illi sunt, quibus meum pertentavit; ita quoque me nonquam vidiisse librarium Agonistam æque similem illis qui in Schola Gymnastica, tam cum depacto à se palo, quam potius ipsa cum umbra sua, brachiis cruribusque decerabant. Ita ut tandem expertus, quanquam sero, ista duo viderim; Quid ridiculi prælii per Σχιαμαχίαν Vmbratilem pugnam, & Σχιαμάχον Vmbraticum pugnatorem, jam à præcis inde Græcis traditum & frequentatum; nobis intelligendum veniat. Scilicet, illuc desperata malignitas Veteroris artibus instructa, homunciones gloriosos adigere potest; & in tam insanam φιλονεκίαν proturbare.

Id tamen unum doleo, quod in spectaculo tam inani, hæc experientia mea, majore Veritatis & Christianæ Religionis ludificatione, in majore Chartarum jactura constet. Sed hæc distincta consideratio est, Caput sequens impleta.

C A P U T V.

Suam Ignorationem & Improbitatem, conjuncte vult supplere Hulsius, quaesita libri sui Cras. situdine; & sic tanto magis mera est Inanitas.

Illi qui sentiunt se nec Veritate nec Dolo vincere posse , nominatim Rabulæ & Aquæ ; solent tanto pervicaciōri garrulitate , Alcinoi vel apolōgum deblaterando , obtundere saltem audientes. Et quis ex eo quod palam in oculos incurrit , illis & ea parte Nostrum similem non agnoscat ; qui etiam inter cætera tam diligenter studuit ut suum librum ederet crassiore meo ? Atqui in hoc etiam , Deo laudes , diversum ab ipso sentiens , nonquam non solerter allaboravi , quæcumque meascripta , præsertim typis destinata , quammaxime compendiario à me profici : quod qui in Catholice Rel. Veritate , etiam à me præstitum non videt , is novus librorum Censor est. Etenim vero mea , qualia cumque esse possint , tanti nonquam fecero ut pertendam seu loculis , seu tempori Lectorum , nimis dispendiosa venire.

Et sane animi sensa prolixæ ac per ambages efferre , qua Artis qua Diligentiae , tam certissimus defectus est , quam certe homines ego novi qui serio quid consignantes , majorem nouexant laborem , quam idearum & conceptuum , ex re quam animo versant scatentium , abundantiam amoliri ; insuperque res sibi selectas aut consignari destinatas , verbis quampotest paucis exarare : ut nempe quocumque cum earum rerum à se rejectarum damno , ipsi s unde quaque succinctissima parta sit brevitas.

Quocum in Apologetico meo , clare de me

etiam sentiscat emunctæ naris Lector ; clare sentiscet contrarium ab Hulsi ingenio factitari : nonquam enim ullam , quanquam ineptissimam , juncturarum quæsitam rimam juvenit , qui ad gliris instar erepens , ad amplificationes omne genus , quantumlibet abnormes , expatietur longe lateque , & cursus suos circumflectat . Quamvis igitur multa exempla , utpote ad aperturam libri ubivis obvia , afferre sit supervacaneum ; extantius tamen unum & alterum , per ejus libri erassamenta saltē tam initio tenus quam fine visendum , producere non nocebit .

I. Per Libri sui initia hoc facit :

1. In libri mei rubricam aliquid commentaturus , diffuse , lente , salebrose procedentia nescio quæ , nescit quæ comminiscitur ; dum saltē non nescio à cordato Lectore non perleētum iri , quin statim judicet præstisſe saltē ea furfura prorsus omitti .

2. In Dedicationis meæ titulo , seu potius in Illustrissimi & Reverendissimi Legati Apostoli ci titulis ; elegantissimarima patescere vīsa est , qua irrepens perrimatum iret apud Authores , ex quibus titulorum & munium omnium illorum , imo & omnium Ecclesiasticorum introductionem , qualitatem , numerum ab originibus usque describeret ; quin & eorum jura discussiens pro inscritia sua , sua quoque de illis faceret arbitria . Quasi , utut potuisset , debuisse ibi loci illa vellicare : Quasi & eorum titulorum ,

& alias .

& aliarum rerum ab ipso, huc obtorto collo
pertractarum ; ego fuerim Inventor & Author
eo nomine vapulaturus : Quasi eorum per-
tentata à se confutatio , ad rem quicquam fa-
cere potuerit ; quando nec ea illic ventilanda
propotui, & eorum fundamenta ac jura , in
ipsa Veritatis demonstratione mea , ut in eo-
rum arce præsidiaria , demum impugnanda ve-
niebant. At vero , tot folia chartarum , in-
condita sane , laxa , abrupta & hiulca loquaci-
tate , adimplenda erant. Et mirum videri pos-
sit , quod cum in ipsa mea Dedicatione illa ,
nullam ad se dilatandum , rimam irrepserit ;
nullam quoque videatur quæsivisse in mea Præ-
fatione ad Lectorem , ideam meæ Mothodi al-
tius repetitam proponente. Verum vero quia
similes habent labra lactucus , illa acetaria No-
stro non sapuerunt : sapientiori futuro , si pari-
ter ab ipso toto libro abstinuisset ; eique refu-
tando aptum se natum non esse , cordate agno-
visset.

3. Dedicandi vero libri receptum fere mo-
rem , in ansam prolixitatis atripere , nequa-
quam omisflorus erat. Quin imo ut hæc ansa tanto
patentior esset , librum suum inscribit Ecclesiæ
Romano-Catholicæ Antiquæ Matri , cui anti-
quum Sapere & Salutem dicit. Hanc vero an-
sam meram prolixitatis dixerit , qui quis eam
Dedicationem legere non designatus , æquam
Rationis , Judicii , Moderationis , & Hone-

statis, in Theologo præsertim requisitatum, stateram adhibebit. Illam ego quidem ad eas immundicias adhibere fastidiens, hoc saltem dico.

A. Pars ejus Dedicationis aut Inscriptionis, in grandem foliorum numerum egesta; est nugaria Prophetiarum prolation, omni veræ applicationis luce & radio, prorsus orba cassaque. Verum &c, sive ex ipso tractatu huc quasi remulco protracta, sive hinc in ipsum tractatum attracta; utcumque se res habeat, Prophetiarum farrago est alterutrinque repetita. Tanti scilicet constat spissum volumen evulgare.

B. Huc & conferre debebat ea quam addit, insipientis & inficetæ adulatio[n]is prostitutam speciem; nescio, nescit quomodo intritam in de[formationibus] sacrificisque diris ut potuit omnibus, quot horridissimas S. Scriptura de Antichristi, de Muhammedis, de aliorumque Hæresiarcharum, Schismaticorum & Impostorum particularibus ausis & Sectis continet; omnes ab ipso in eipse Dedicatione, Ecclesiæ Romano-Catholicæ, magnæ faucium hiatu applicatas.

C. Ecclesiam autem Romano-Catholicam præfari, in se nihil absurdum esse reputarint ii ex Protestantium doctis Viris, quibus id actitatum: sed credat mihi Noster, aut si mavult, Proverbio; *Aliter caroli olen[t], & aliter sues.* Nec enim quem temere reperias, qui tam insubide, Matri agnitiæ convicietur; ac minime omnium,

lou-

longæva senecta venerandæ, antiquæ Matri, inquam. Sed forte volebat dicere, Olim-Matri. Ut cumque sit tamen, ea Præfatio aut Dedicatio tota, est tam ineptæ & insulsæ loquacitatis, ut omnigenæ ineptitudinis & insulstatis memorabile sit exemplar. Nostro tamen non pœnitenda, quando multis præter modum, chartarum philyris illita, voluminis crassitudinem exaugerat.

II. Versus libri sui finem, istud vero facit.

i. Vigesimo veritatis meæ Capiti, quod est de *Imaginibus & Reliquiis &c. &c.* subnexueram excusationem de præteritis aut non sigillatim & ex professio memoratis cæteris; seu generatim ad externas sacri cultus functiones, seu ad particulares quorundam Catholicorum Devotiones (sic vocantur) pertinentibus: ut quorum ingenuam pietatem posset Lector intelligere, aut ex ipsa Apologia mea, aut ex quam plurimis Religionis Catholicæ Scriptoribus. Nimirum hæc etiam erat Hulso apertior ad codicis sui molem spissandam opportunitas, quam ut ea uti frui negliceret. Ergo illa omnia sic à me destinato consilio omissa, magno ex analiectis suis catalogo & apparatu transcripta; longa serie Capitum & liberalissima chartarum profusione persequitur, narrando, explicando, irridendo, & pro insigni sua in Catholicæ religione inscritia, quantum potest refutando: aut potius novam gemmam in sui tanquam locupletis

pletis Authoris laureola , radiaturam captando

2. Ubi in ultimo meo Capite , cui argumentum est , *Conclusio* , aliquid de Reverendorum Patrum Soc. Jesu ut in transitu delibavi ; ibi arrisit Hulso amcena deambulationis ad Prolixitatis capturam opportunitas. Quam & avide sic arripuit , ut insectatione Societatis , à fundationis primordio considerandæ ; non per paucas quoque paginas luxuriet : nequé profanæ ipsius plebeculae dicteria , ex compitorum purgamentis delambere neglexerit. Quale est eos ex propria confessione , esse vel Boves & Asinos , vel Latrones & Homicidas ; nisi forte malint hæc omnia simul haberi. Nam , eligant ! Nascens in Præsepi Jesus , Bovem & Asinum habuit *socios* : denascens in Cruce , Latrones. Annon & infusum istud scomma , petulantis profecto & impia scurrilitatis , egregie merebatur inter alia referri ? Sed qualicumque illa sint , codicis augebant crassitudinem ; & hac etiam ratione , Annalibus Hulsi (fere dixerem Volusi) dignissima erant.

3. Ubi pagina 395. omne bono , pio finitus , spero Dominum verbi sui memorem , tempore non procul futuro sic operaturum esse , ut Remotam & Claudicantem , (Reformatam & Lutheranam Ecclesiam ,) sit recepturus : ibi Nostro valgo vagoque talpæ visum est , posse adhuc ultimum Tractatus mei folium perscindi , scissuramque divaricari qua commode perreptans , miscella-

scellaneam Vaticiniorum Sacrorum congeriem acervaret; & clarissime demonstraret id optatæ Pacis tempus, sub magnam futuri longinquitatem cum tota spe mea esse retrusum. Et quamquam in earum Prophetiarum sacra face, nullum vel ostendat vel cernat evidentem radium, qui illi sic temere effutitæ opinioni alluceat; non dubitat tamen, te, tum sagacitatis egregiam laudem, tum & prolixitatis spolia ampla reportare visum iri.

4. Actanta prurigine ferebatur ad sui futuram codicis spissitatem, ut eam ex meo capet, etiam jam tum finito, & solenni illo FINIS obsignato. Nam quod meum *Responsum ad Amici Literas* impressum est in codicis mei ultima chartæ semiplagula, quæ cæteroqui vacasset, vel prelo & operis moram fecisset; non potuit refutandum ab Authore præstitui, multo minus ultimi mei Capitis pars asseri & haberi, nisi in crassum codicem spissescere vehementer avido. Et hoc meum clementius de ipso judicium est, quam si judicarem eum tot folia replesse contra insontem Epistolam, ideo quod putaret elegantia fore quæ contra ipsam garritum ibat. Sunt enim, pars malignæ hariolationes; pars, insultæ correptiones; pars, ridiculariæ & ad nauseam ubique frequentatæ Poetarum, nominatim illius passim infandum obscœni Juvenalis citationes. Ec cum has semper rerum & Authorum ingratii proferat, nescio quem rancidum & marcidum

pædo-

pædorem gymnasii ab ejus penna redolentes ; hic vero quoque nescio quam in Summates suos irreverentiam spirantes & prodentes. Ut cumque sit tamen , Huius loquitur ut loquatur , scribit ut scribat ; non magnopere sollicitus , an quod scribit non sit indignum scribi : vel potius , planissime arbitratus , id tanquam scribi dignissimum , avide semper ex ipso & syllabatim lectum iri.

s. Insuper & tandem , verbosum ineptumque Epilogum afflit , quo in si te interroges ; Unde , qua , quo opicus hic hominio consulens , increpans , prophetans , decernens , cæspitans , claudicans , ac sensim sensimque languescens se mouet ? nil certæ responsonis ex conscientia tua feres . At videamus saltem in ultima pagina paragraphum ultimum ! En ! Jam Musagetes manum de tabula tollit ! Jam post tot illas elegantissime exaratas chartas , calatum deponit Sapientia & Eloquentia torrens ! Jam Pancratia stet victricem frontem plurima redimitus lauro & corona triumphali , se alio convertit , surgit abit . O si nobis diceret quo nunc ita negotiosus se confert ! Ad conciliandas nempe Religiones , Reformatam cum Lutherana : quod tanto dignum opus Viro , jam plusquam affectum habere videtur .

Ita est , nam id ipse dicit . Ac profecto ab hac arena , ab hac Larvæ victoria videre discedentem , & post tot umbraticos inanesque labores

res spectare tam turpiter ilia ducentem; at si-
mul eundem audire tanta gloriatione, tantis de se
promissis tumentem: id vero totum ejus volu-
men evoluturis, non poterit non ciere indigna-
tionem, contemptum, risum. Ac si forte Lecto-
res meos videro, ad hoc schema sic breviter à
me haec tenus delineatum, ora sua laxare; neu-
tiquam eos inclamabo, ut in re vulgariter ludi-
cra solent, --- *Risum teneatis, Amici!* Nam
qui à natura sum misericordis ubique animi, hic
sane nimium humanus ero, quam ut velim tene-
ri risum qui inhiberi non posset, nisi simul &
Risores anima quassante præfocari.

Interea vero cordati Lectores intelligunt,
quantum immane absit ut Hulsius Opponentis
mihi futuri genuinas partes suscepere: quas si
ex Capite III. *huc reminiscendo transferre di-*
gnantur, intelligent non modo eas non suscep-
se, sed nec suscipere aptum ullo modo fuiss.
quin imo tamen nullis omnino legibus se adstrinxisse,
ut clarissime ex omnibus pateat, etiam ex
tam fœdæ prolixitatis tam fœda mendicatione;
ipsum in mentitam duntaxat speciem refutatio-
nis, meras nugas, gerras, palpum, fucum, sco-
toma, præstigias, veteratorie scurrando inge-
nuo Lectori desperanter circumfundere studuisse.
Sed & hoc ipso intelligent, quot & quan-
tis rationibus ego conditione de futuro mihi
Opponente, à me in Libro meo præcauta, su-
periūsque allata insistens; ipsius talem re-
futa-

futationem , aliter refutare despicer.

Nec absurde quis suspicetur , eum non fuisse ausurum tam vecordem & probrolam Inanitatem meæ Veritati opponere , nisi ex sibi facta atque præsumpta spe , me omnino , quocumque demum alio etiam fato , fuisse taciturum. Ast si ipsum , regeret quispiam Lector , refutare sic despiciaris , cur tamen in ipsum ista scribis ? At certe , ut vides , mi Lector ! *xatà πόδας* aut ejus insistendo vestigiis , nequaquam ipsū refuto ; contentus eam quam in libri Titulo promisi , exhibere *Inanitatis Hulsi*æ dissipationem. Imo & his ipsis quas ea fini scribo , brevibus stricturis sic fortassis abstinuisse , ut spei votiq; illius de me tacituro , sui compos; à me qua contemptus , qua intactus mansisset : nisi nonnihil aliquantulum me tacere vetuisset. Quod posteaquam sequentibus aliquot Capitibus pari brevitate censuero ; re-pente hujus talis meæ Scriptio[n]is ratio non una patesceret.

C A P U T VI.

*Manifestum Doctrinae de sectum supplere vult
Contumeliis.*

Huc usque percensuimus ea quæ ad Inanitatem Pleudo-catholicam mihi opponendam , destinavit , simulque ad Ignorationem & Improbitatem suam conjuncte occultandam congesit No-

ster.

ster. Nunc super sunt ea quæ iis defectibus adve-
landis, distincte destinata fuisse, facile potest
intelligi: Et si jam compertum habemus, quod-
nam & quotuplex in cacabo suo coxerit Minutal;
res nondum est acta. Illud enim acuti saporis
ut esset, cupedias & scitamenta ore xeos curiosos
addidit; ne qua parte coquus cederet Apicio.
Addidit autem Salgama, Garum. Nunc degu-
stemus Salgania: Deinde, Garum.

Nil tantopere abs reipla abludit, quod per
Salgama designem illa, quæ ad augendam opini-
onem tam Scientiæ suæ, quam Ignorantiæ
meæ, per Tractatum suum perspersit: ut nem-
pe ne quis esset miserorum mortalium, qui de Li-
ibri sui, suæque ex meo reportatæ victoriæ illu-
stri præstantia, dubitate sibi arroget. Scilicet,
iis me perquam liberalibus blanditiis, passim
passimque sine modo, sine numero ad Lectoris
admirationem usque, amantissime demulceret;
quarum elenchum & indicem detexere, non es-
set operæ facilis. Sed eas defunctione ad certa
capita quantum ea recordor, succingere sufficerit.

Igitur Henr. Hulsius, Theologiae S. Doctor,
Universitatis Regiae Professor primus &c. De-
canus &c. Rector &c. censet me & collaudat,

i. Ab ignorantie mei ipsius curtæque meæ
supellec̄tilis, & vñdālū arroganter, seu, perti-
naciter sibi ipsi placentem; adeoque & mei ip-
suis laudatorem.

ii. Ab ingenio, tardum, hebetem, ineptum,
stupidum.

3. A stylo & Dictione , affectatorem cuiuspiam eloquentiae quam non assequor , hiulcum , confusum , inelegantem , barbarum αὐλον sine tale aut insulsu.

4. A Theologiae studiis , tales qui Grammaticus , Rhetor , Orator , & Poeta sim potius quam Theologus . utpote in ipsa Theologia me rudem esse & hospitem , nullius judicii : qui & non Theologiae Professor constitutus fuerim , sed Lector ; qui & linguae Gallicae Hypodidascalum egerim , pueris ludibrium.

5. In Controversiis , tenebrionem ; andabatam ; ad rerum capita non assurgentem , sed caudam dumtaxat admordere aptum ; cuius & liber Catholicæ Relig. Veritas , sit indoctissimus quem ex plebecula homuncio scribere potuisset.

6. In summa , Asinum me censeret , Asinum ad Lyram , Asinum ad Lyram sanctam , Asinum ad hoc , Asinum ad illud , Asinum hic , Asinum illic ; & nescio ubi non Asinum . &c. &c.

Ego quidem ista ex Hulsi libro recordans , is sum qui pro ingenuitate mea lubens agnosco , omnia & singula mihi tam libere impacta , non æque procul à vero distare . Quin imo idem quod non invite soleo palam aperire , idem nunc & hic loci non invite palam aperio atque profiteor : ingenuam nempe multiplicitis tenuitatis meæ conscientiam . At ea tamen confessionis ingenuitas , non obstat ingenuæ confessioni cuiusdam veritatis eadem conscientia complexæ :

Et

Et eam quidem libere profiteri , me nihil etiam
vetare videtur ; quando ita libere suum de me
judicium profitens Hulsius , mihi libertatis hu-
jus aperuit ostium & exemplo suo præivit . Si
enim augustarum Manuum umbra , quæ ambos
nos homunciones utrinque protegit , ipsum nul-
lo singulari jure auctoratum , non abstinuit ab
illa mei taxatione quam nullam ab ipso petive-
ram ; utique & mihi omni jure licebit Hulsi
reciprocam facere æstimationem , & pariter
publicare .

Quin etiam illamet Augustorum Principium
veneratio , qui nos utrinque suos asserere sunt
dignati ; legem talionis hic mihi singulariter lau-
dere atque commendare videtur . Nam quida-
nimo meo vilius , tantoque Patrocinio indignius
posset hac in Scena fingi , si par ego parire ferre ;
idest judicium de Hulso meum , Hulsi de me
judicio opponere non sustinerem ; modo ut in-
tra veritatis & probitatis limites ? Eos quidem
profecto ego non transgrediar ; urbanitati quo-
que , prout res feret , litaturus : ac eatenus à
me nil unquam erit , quod ab hujusmodi Palæ-
stræ spectaculo terrarum Dominos averteret .
Utinam modo quid certaminis , Serenissimis
Illorum curiosisque oculis non indignum obtin-
eat ! ô quam facile , quam alacriter ei contra-
venirem indoli , qua cæteroqui rixosa ad ho-
minem argumenta refugere & aversari soleo !
Nunc vero utcumque sit , narrabo historiolam ,

aut potius complebo narrationem ejus mei quod supra memorabam, de Hulso OppONENTE mihi futuro, præfigi: cui respondentem eventum ratum addam.

Quum à Viro quodam insigni, prima vice inaudirem hunc mihi OPPONENTEM futurum, non tantum ægrescebat, ut antea dix, & frigide æstuabat animus: sed, ut verum nihil amplius dissimulem, etiam amara indignatione succensus, stomachose effervescebat; præsertim ex opinione non abstrusa, eum hominem judicio quodam publico, mecum forte collatum; eas partes sibi demandatas suscepisse: quem tamen ex rerum usu notum habens, dubitare non poteram inauspicatissimum fore sinceris inquisitoribus veritatis omnibus, importunumque Turbatorem. A Viro item insigni quodam alio, idem altera vice audiens, itidem æstuabam & indignabar; expressiones animi generose stomachantis inhibere non compos: At ejus verum minime compos, cum libri à se visi, eorum unus fidem aliquantò post faciens; eum librum à paucis inde diebus mecum communicaret, egoque ipsum percurrerem, namque revera nihil prorsus in rebus ipsis deprehendebam, quam quod in præfigitione mea accurate præsenseram.

Interea vero dum, ut usu venire solet, sensim tranquillabatur animus, eumque reflectebam ad ejus Scriptioris inanitatem & impotentiam; Indignationi succedebat Contemptus. Cumque &

in placido contemnentis animi positu ; cogitatio rediret, Quam immanni impete facto Noster , Tyria commovere maria vitus , in Æoli caver- nis debitam sibi mercedem expectaret ; sensisse- bani nescio quid jucundi leniminis mentem per- fundendo gliscere : neque proin poteram (fate- bor enim) à multo risu temperare. Quin & nocte quadam dum in lectulo sumnum expe- ctans, librum eum legerem , & permisit no- minatim tot approbamenta exquisite perpende- rem ; contingebat tandem me in tantum risum resolvi, ut thoracem succutientibus, & guttur occupantibus improbis cachinnis , effusius diu- tiusque riderem quam voluissim : etiamque po- strem metuerem eodem extingui fato quo Philemon ille apud Valerium Maximum lib. ix. Cap. 12. § 6, in Externis ; quum præsertim id exemplum in mentem mihi tunc incidens, à si- militudine causæ vim risus geminaret. Ac vim eam risus neutquam diminuebat cogitatio, quam is sævæ jocunditatis paroxysmus, maligne for- san , insuper adjiciebat : pingues nempe eos omnes titulos, quos mihi allinis, Hulsi! ipsos es- se eosdem quibus vere Docti Viri qui tua Theo- logemata legerunt , temet ipsum donaverunt. Et iis sane nominibus apud eos celebrior es quam hucusque tu forte putas. Atat alia vice te artem docebo, qua talia ex te transferre, & aliis affri- care ac inurere, etiam cum lucro possis: nunc autem alio vocor. *Ipsò de risu, ridendo dicere ve- rum, Quid retar?*

E.

Ac

Ac ut unū saltem hic à te petam, mi Opponens! An putas cordatum Lectorem ullum, ejusmodi īnjurias ubiq; tinnientes libenter legere? præser-tim in Scripto de re seria, Scripto Theologico Scrip-to contra serium authorem certante? An putas hac tam ambitiose conquisita, ingenii, scientiæque meæ quantulævis depressione; magnam inge-nii scientiæque laudem aut opinionem tibi acref-cere: imprimis cum in Veritate mea, morta-lem ullum laceſſere religioſe caverim? Imo ve-ro, ut injuriæ tam frequentes, tam tumidæ, tam ferventes, nullicordato unquam placent: ita asſeverare non dubito, te nullum habuisse, aut habiturum esse lectorem, cuius eo nomine non longe ſequius ac intendebas, de te scientiaque tua judicium exiftat. Ac certe quotquot ad hucusque vidi, qui librum tuum vel perle-grint, vel cursim luſtrarint, vel aperuerint, vel de eo referri audierint, (plures autem vidi;) tottot & audivi eum fastidientes, & te ejus au-thorem ſuis ſtomachofe interjectis phi!phi! ex-ſequentes: ac ii quidem non tantum qui te non norunt, ſed magis quite norunt, & maxime qui me & te norunt.

Et cum Lectorum judicia, tibi faventia fore falſo præſumpſeris, ac id quidem eo præſum-pſeris quod in ſumma Doctorum claſſe, tu ipſum te putas & eſſe & haberι, (niſi etiam rō S. fit forte ſummuſ, nam in tui libri titulo nove ſtat, *Theologie S. Doctor;*) cumque proin tam abjecte

judi-

judices de Lectoribus quibusque tuis , uti inge-
nue ac amice te non semel , sed ut video fru-
stra antehac monebam : nihil est quare non fate-
rer , me nunc denique pia admonitum conscienc-
tia sentire , officii esse mei allaborare ut tandem
melius in te ipsum altiusque descendas. Nec in-
terea ægre ferre debes , si duriusculos sermones ,
modo ex veritate , cædam : nam durus in teno-
dus est.

Est S. Scripturæ locus *Proverb. xxvi. v. 4.*

¶ §. cuius sententia secundum lectionem vulgo
receptam , conciliationis neutiquam sic obviæ
aut facilis est , quin hæreat vir cordatus , utram
in partem obsequium suum inclinet. Nam *stulto*
loqui secundum *stultitiam ejus* , æque diserte pro-
hibet , mandat. Sed se res expedit ipsam , si
prima vice occurrenti voci *qivvaltho* præponas
Lamed ; repetitæ vero , præfigas *Caph* ; quam
scripturam dubio procul *LXX*. *Interpretes* ha-
buerunt , qui illic legerunt *πρὸς ad* , hic vero
κατὰ secundum. Atque ita jam sensus planissime
huc redit : v. 4, *Ne respondeto stolido ad stulti-*
tiam ejus , quæ vulgariter multiplex , diffusa ,
vaga , nihilque momenti trahens est ; *ne adæque-*
ris ei tu quoque! v. 5, *Responde stolido secundum*
stultitiam ejus , si quando appetet eam esse seu
causam seu effectum nimiaæ de se ipso opinionis ;
ne sit sapiens in oculis suis.

Qui me , nihil à te mali unquam meritum
nec in ulla libri mei parte in mortales ullos no-

minatim inventum, contumeliose insectando sic affaris, ut te prodas quam maxime eo insudare qui fidem facias cum ignorationis & omnigenæ inutilitatis meæ, tum eruditissimæ & Sapientiæ consummatissimæ tuæ; is mihi omnino videris esse, cui hac occasione ita respondere jubeor, ut sis sapiens in oculis tuis: utque adeo nimiam illam propriæ sapientiæ opinionem, tibi, magnō bono tuo, si possum, eripiam. Cumque præsto magis ad id aut conducibilius nunc nihil habere possim, quam eadem convicia quibus tu clamore & strepitu ingenti, me quasi vicatim insectaris; non gravabor ea repetere, prout hic supra summatum consignavi, eaque simul ad breves stricturas excutere: quibus ostendens ea præter & contra rationem, adeoque & meram stultitiam esse; palam tibi ex officio demonstrem, quam longe à Sapientia consistas. Nam hoc mihi quidem est, secundum alicujus stultitiam respondere.

C A P U T VII.

Contumeliarum Hulsiianarum discussio.

EUNDAM ergo servanti ordinem occurris statim me taxans;

I. Ab ignorantia mei meæque curtæ suppellectilis, & vñdælus arrogantem, seu pertinaciter ipsi

ipſi ſibi placentem; adeoque mei ipſius laudatorem
&c &c.

Ad hoc respondeo, i. Tam ſcio me ipsum mihi ipſi non ſatis cognitum, quam qui quotidie ſui ipſius cognitioni ſtudet, & in ea quotidie nouihil proficit. Meum etiam de me ipſo rebusque meis judicium, haud dubie non exors erit contagii ab illo amore noſtri proprio, quo nos Adami progenies, ipſos nos omnes plus minus, perperam amamus præ aliis; resque noſtras alienis præponimus. Sed quod ad arrogatiā, ipſiusque mei rerumque mearum laudationem attinet; is ſum, Deo laudes, qui didicis eosque contemnere & mundum, & contentum mundanum, & laudationes mundanas, ut hac parte nil magis averem quam mundo palam innotescere, & in me adſpici illa interiora animi mei ſensa. Aſt ipſe nos finxit Deus, physiognomiamque noſtram: qua ſub tali quali mea, ſi non nullis quid ſuperbi abſconditum in me latere judicetur; at certenullis unquam cordatis, quibus ex aliqua neceſſitudine ſatis immotuerim. ut verum perſtet quod eorum de me testimonium, in Epiftola illa ad Amicum ſub meæ veritatis ca'cem edita protuli.

Iuterim ſicuti tum eam edi, ita nunc illud repeti, animus nonniſi morose aſſentit; oſtentationis ſpeciem, id judicium repetendo, edere formidans. Verum quia tamen erecta virilique mente homo, multo magis formidat quicquam pro

re nata omittere quod conferre viderit ad Veritatem, seu ab oppressione liberandam, seu in triumphum suum statuendam; idcirco si hic protestor, id quocumque forte de me ipso dicam propriæ laudi simile, id ipsum duntaxat ex cordato amore veritatis proficisci: non dubito quin satis habetur sit Lector vera & maxima virtute prædictus, quo contra suborituras de modestia mea suspiciones sit præmunitus. Ac istud semel hic præcautum, velim tum in hoc articulo, tum in reliquis sequentibus non gravaretur reminisci.

Dico autem de ipsa Modestia, quatenus spiritui fastoso opposita, ejus, veluti in bivio quodam sitæ, hanc in me esse conscientiam. Nempe, cum iis qui parum altius meditari amant, habeo commune, ut quum mente attentius cogitante, aliquamdiu miratus sum quanti, quot, tantarum & tot rerum ac scientiarum fontes nobis hominibus sint inaccessi; tum ex opposito non minus mirer & miserer, nos tam paucarum duntaxat rerum, tam exilem, tam tenuem & umbraticam notitiam habere. Qua consideratione ut plurimum occupatus, siquando forsan audio nonnullas de me ut Scientiæ homine laudes, tum quasi perinde ac antea percussus, de integro & amplius miror miserorque, ut quid tantillum istud, si quod est, Scientiam vocent homines: quos inter ego, nos omnes ut æquali gradu (pro subjecta materia loquor,) in proximo rō Nihi confinio jacentes, tam saepè tam clare contempnor!

Verum

Verum tamen vero quia quantulacumque sit nostra Veritatis de Deo & Naturæ rebus perceptio aut scientia, longe præstantissima est, & sine contradictione, nobis dignissima inter res alias omnes quibus afficimur; eapropter ubicumque illius Veritatis & Scientiæ partes, in cuiuscumque deinum rei vel hominis negotio, agi & versari intelligo, etiam ipsius mei; tum protecto eas veritatis partes suscipere, tueri, & promovere diligenter studeo. at ea tamen cautione, ut quum illæ seu à me, seu rerum mearum testimonio tuendæ veniunt; tum ego semper, nisi forsan præpostero sanguinis motu gliscente, addere soleam, in publico præsertim loquens, quod tenuitatis propriæ conscientiam hominibus declareret. Neque mirum alias videri debet, si in prolixiori variorum argumentorum tractatione, varie stylum pro zelo veritatis temperantes, ea quandoque dicere videmur pro nobis ipsis & solis, quæ in nostri cum Veritate complexu, cujus & sano sensu personam tum gerimus, pro Veritate & propter Veritatem solam nobis eatenus stantem, reveradicimus. Ac istud perquam frequenter obvium, facile cernit aut attendendo discernit Lector: præsertim quum nihil intercurrit, quod vere repugnet tenuitatis professioni, quæ semel, bis, saepius facta fuerit atque repetita.

Jam autem in meo de quo agitur Apologetico seu de Veritate Catholica Tractatu, vel ab ipsa

Præ-

Præfatione, ubi cæteroquin se laudare solent, &
 revera opus suum, modo ex vero, commen-
 dare debent Authores; legisti per totam multo
 cordatus & modestius quid, quam quod à pu-
 tida *αὐδαδέια q. d. sibi placentia spirare soleat*
 aut possit. Nec enim tantum ibi, me duntaxat
 intellectu mediocri pollere agnosco; sed deinde aio,
 Nolito, Lector! opinari, hanc scriptionem quid esse
 in suo genere perfectum! Immane quantum abest.
 porroque paulo inferius; A me procul absit, ut
 vel aucupem, vel patiar quicquam à tenuitate
 mea ut perfectum expectari: nisi si perfectum voca-
 bitur quod quis animi non distractus, sincera vo-
 luntate, proque virili sua fecerit. Longum esset
 librum pervolvere: & cum vel id unum præfa-
 tum esse, candido æstimatoris suffecisset; tum
 certe cumulum, et si nil aliud esset, facere pos-
 set eadem professio repetita versus ipsius Libri
 finem, pag. 388. Ibi neutiquam arroganti fastu,
 ex magna de opere meo opinione, tumidus;
 uti nonnullis usu venit; hæc subscribo: „Quin
 „& errores, lapsus, paralogismos, quos aut forte
 „deprehendes, (nam & homuncio sum,) aut
 „deprehendisse putabis; mihi gratum feceris si
 „annotas, & si, modo ut pari mecum veritatis
 „amore, in chartam conjectos diluis.
 „Nam quanto clarius vel hinc eluet, me nec
 „Ingenio, nec Doctrina, nec Eloquio excel-
 „lere; quæ, Deo laudes, agnosco quam in me
 „sunt exigua: tantoquoque clarius appariturum
 spe-

,, spero, Deum adhuc, quando placet, ab ore in-
,, fantium & latentium fundare robur, ad splendi-
,, diorem veritatis triumphum.

Quid isti modestiae, aut curtæ meæ suppelle-
ctilis conscientiæ vere contrarium in *Veritate*
mea videris; tua non profert *Inanitas*, satis
habens me arrogantem & *mei laudatorem* con-
clamare. An hoc vero modesti viri habitum
iri putabas? & non potius hominis sibi ipsi,
præter & contra modestiam, veritatem, ac hone-
statem, pertinaciter placentis, quidvis adeoque
sibi arrogantis, imo & Fatuæ de se ipso Deæ c-
pinioni immotantis? Certe vel id petulantiae so-
lum, te talem prodidisset.

2. Etenimvero, si quales in meo plures sunt,
talem velunum in Scripto tuo locum, tuæ te-
nuitatis conscientiam professum ostendere posses;
modo vel tantum talis loci speciem, et si vel uni-
ca vocula: possis fortasse videri non omnino tui,
curtæque tuæ supellectilis nescius; non omni-
no tui, immanisque de te ipso opinionis plenus;
non omnino tui inaniarumque tuarum amore-
ebrius, uno verbo, posles forte videri non om-
nino stultus. Verum profecto totus is liber
tuus talis est, in quo tale nihil prorsus videre est;
sed in quo una & pertinax spirat arrogantia; ea-
que in progressu eadem, nisi quod hærente licet
ad supellectilem tuam prolatandam aqua, cres-
cat tamen, & animum viresque novas ex tua
inanitate ducere, videatur stultitia.

Nam-

Namque , amabo ! mi Lector ! nonne spiri-
tus dicentis , est ubique cuiuspiam Prytanis aut
Suffetis ^{ανωπευθύνως} pronuntiantis ? Ac ubi seu
ad Catholicos , seu ad me singulum se convertit ,
nonne dices theatralem Monarcham , severe
suos increpantem ? aut potius illum Raschung ,
Improbum , Nequam , de quo Psal. x. qui sibi per-
placet in libidine animæ sue , & quæstum facienti
benedic irritoando Iehovam : quique cum infla-
tione vultus sui , Cōl tzorera-v japhiach bahēm ;
in quo scumque hostes suos sufflat , eos vel halitu so-
lo prostratus ? Vel & nonne dices esse illum
Thrasonem , illum Therapontigonom , aut
alium quempiam similem iis à Plauto fictis po-
lysyllabis militibus , quorum sæpius personam
Comicam , tam rebus & ipsa veritate invita,
quam reluctantante omni Minerva & Venere mihi
affingit ?

Res ipsæ illum cundem animum spirantes ,
male sana superbia eadem non tam ridicule ,
quam præsertim miserabiliter fetent . Geminum
ejus instar esto ! & quidem A. primo : Qui
Doctores aut sic dictos Patres Ecclesiæ , vult eti-
am legisſe & intellectisſe videri ; eorum authori-
tatem sicubi obviam habet sibi non faventem ;
supercilioso rejicit , ut quæ nihil apud ipsum
valeat . Quam altroversum tamen sicubi pro se
facturam putat , arcessit , trahit , & tumultua-
riis testimoniornm prolationibus ambitiose agge-
rit : ac vero tum Catholicos mirifice triumphat .

Post-

Postquam tamen illa veneranda Authoritate quasi datatim abutitur , camque ad pontis instar versatilis habet ; drepente bonos & Sanctos Patres despicit , ac eorum centenos hodiernum Theologum vel unicum non æquare , insolenter pronunciat . Per unum autem illum , se ipsum imprimis designare non dubitet Lector ! quando vesanum id præconium , in publica & frequenti hominum corona , proclamavit convenire etiam studiosorum suorum promiscue sumtorum vel uni .

B. Quascumque S. Scripturæ explicationes vel applicationes suas , pleraque sane omnes vapidas ; perinde ac indubitatas sic proponit , ut jurgetur cum Lectore , eas vel tantillum cunctanter amplexante seu amplexaturo : vultuosa enim hac quætionum enunciatione fecerunt ; *Quis nescit ? Quis non videt ? An quis ita bardus ? Qui puer aut Asinus ? &c.* Ego vero peto ; *Quid est Lectoribus truculenter imperare & in antecessum conviciari , si hoc non est ? Quid est scatentem ex ignoratione sui , puram putamque & putidam arrogantiam eructare , ea que totam quasi formicantem prurire , si hoc non est ? Hujus farinæ periocha quæ nunc incidit saltem una prodeat ! Agens in ea de Antichristo sibi dicto , cuius declarationes Propheticae afferuntur & ostenduntur in libro meo de Muhammedo loqui , nominatim illa *Dan. VII.* Postquam in hunc Danielis locum provolutus est
ejus*

ejus sermo , & dixit quid intelligat per id *parvum cornu* tantopere adactum; tum inter cætera suclamat ; *Vah' aßlæfizv Afini!* in iis nempe qui non idem ac ipse credunt eo parvo cornu designari. Quod autem id *parvum cornu* explicet, (nisi me fallit memoria,) de ipso Muhammede, nescio equidem unde habeat. Hoc scio ! ipsissimam esse sententiam meam , Veritatis meæ pag. 205. assertam. Sed in hac pericopa nunc aliud præter arrogantiam , non est quod suspiciendum intendo. Ast annon ea satis spectaculi exhibeat, ut qua per unum *Vah!* tot Viros cæteroqui Doctissimos vellet in cæcos Afinos mutari ?

Profecto Henr. Hulsi ! vix intelligas ipse quo aptiori quam tuo stylo , sermone , spiritu loqui posset , modestiæ juratus hostis , idemque arrogantiae Patronus quantovis ære publico redemptus. Et tamen eodem in Scripto , eodem stilo , sermone , spiritu , me àvñadeias & nimiæ de me opinionis postulare , non putaris aliquantula saltem ratione pudendum ? Sed Sapientiæ leges adversus fatuitatem positæ , nobis solis gregalibus sunt positæ ; quibus eas transgredi salvo pudore non liceat. dum interea , gaudeant bene nati !

II. Quod ab ingenio me tardum , hebetem , ineptum , stupidum &c. vocites ! non multam animadversionem à me feret. Vitium non est , quod ab ipso nostro Creatore est : & quæjam de

de Arrogantia dicebam , hic totum fere re-
sponsum mihi præstant ; qui ultro ac iterum
profiteor , duntaxat mediocrem esse meum intelle-
ctum . Pauca tamen pro Veritate , ut cuius par-
tes suscepi , annexo .

1. Ut mediocre meum sit ingenium , & du-
bio procul à multorum ingenio multis parafan-
gis superatum ; nescio tamen quomodo contigit ,
ut condiscipulorum , commilitonum aut Socio-
rum qualiumcumque meorum nemo , ea parte
me superare judicatus aut dictus unquam fuerit .
Et vero res ipsa sic semper locuta est , ut citius ,
expeditius , altius quam ipsi , proposita nobisdo-
cumenta apprehendere , ubique visus ac habitus
sim . Nec etiam simulatæ cujuspiam & blemæ
humilitatis larva me vetuerit experientiam mei
hac parte declarare : hanc nempe . Qualemque
ex omni scibili humano , ut vocant , stu-
dium unquam tentavi ; ad id semper æque aptum ,
illo æque affectum , & æque mihi obsequens ,
hoc ingenium deprehendi : ut interdum etiam
fieret supra spem præsumptam assequi me ,
quæ nonnullis erant stupori . Neque ex Patro-
nis & Amicis defuerunt , qui me eo nomine ,
magnum quid debere Deo , ferio ad monuerunt .
Et vero nescio ubinam locorum id de stupiditate
disterium vulgariter mihi impactum fuerit ; qui
tamen non unum locum scio ubi contrarium obti-
neret . Tandemque nec hic dissimulabo , me ex-
sertam hanc mei circumferre conscientiam : Si
nempe

nempe per nescio quam novercam sortem licuif-
set tranquille meo studiorum amori , Ingenio-
que meo litare ; futurum fuisse ut in Reipublicæ
literariæ & Christianæ frugem , aliquid non
omnino vulgare , producere potuissem. Quæ
etiam jugis conscientia , mihi non raro hone-
stum illum mærorem afflat , quo fere unico na-
tivam hilaris animi mei serenitatem possunt um-
brare nubila. Atat Deo soli Sapienti sint laudes !

2. Ut autem , mi Opponens ! nihil tibi invi-
deo , ita neque ingenium tuum ; et si valde ma-
jus esset meo. Verum ut eam fidem , quæ tibi
scopus erat , fecisses Lectori ; non tibi sufficie-
bat te erigere in contemptorem mei qualiscum-
que istius ingenii : sed in libro tuo , ipsamet illa
contemptionis tuæ publica tabula , debebas re-
apte majora meis , ingenii tui proferre specimi-
na. De quibus interea prudenti utriusque Le-
ctori judicium esto. Vereor autem ne ingenii tui
tanquam pinguioris argumentum specimenque
vel inde habeat , quod de aliorum dotibus non
admodum ingeniose seu judicare , seu pronuncia-
re videaris. Mihi quidem nequaquam ingenio-
se judicasse videris , ubi existimabas quod inultus
ut flerem puer : qui saltem non poteras hæc scri-
bens non reminisci quorundam eventuum , ex
quibus hanc Ingenii palmam , ab Actore te mihi
deberi , ipsa tui ejusdem conscientia Judice con-
staret. Recens unum produco

Recordare ejus quod pauculos ante annos con-
tin-

tingebat inter nos , de mea explicatione Capitis in Levitico XVIII. à te non intellecti, ipsis in ædibus tuis agentes. Ibi quum post aliquot sermones, liberius tuæ in me truculentiae habendas laxare velles, ut identidē periclitabar; ego vero te limis & serio minantibus oculis respiciens surgere & abire vellem : nonne statim posito faciei & sermonis tumore , sollicitis blanditiis me placaturus sæpius iterabas , *Veneror Ingenium tuum : Utique tuum veneror ingenium : Fateor, ingenium tuum debeo venerari ? &c.* Nunc autem quum te extra teli aut calami mei jactum consistere putas , putas & de hoc eodem ingenio contumeliose loquentem te ipsum non inhonestare ? quin siguum palam fore te illum esse Virum , qui post tot formidines & jugem à me timorem , nunc liber & respirans audes Leonem jam tum absentem , eminus saltem altatram?

III. Quod vero à stylo aut Dictione , me proclames cuiuspiam eloquentiæ ad quam tamen non attingo , affectatorem ; hiulcum , confusum , ineleganter , barbarum , ἀναλογία sine sale ac insulsum &c. miror te , tot &c tam frequentibus opprobrationibus rei ob Lectorum oculos maxime omnium positæ , non tibi ipsi movisse nauseam : vereorque ne eam Lectori potius moveant , quam quidquid nævorum in stylo meo carpis.

I. In genere , suus cuique ut vultus , vox , lineamenta , ita & stylus ac sermo est: quidquid etiam

etiam homines quidam alios imitari, & ad unguem exprimere affectent. Quam ad classem indoles hæc mea, in qualicumque scientia vel arte, (nam & hoc fatebor,) neutquam pertinere judicarint virorum vere Doctorum non unus; quum dicrent me *solum in specie mea*. Ac nescio qui fiat ut ubique arbitrans, & hic de oratione mea arbitrans, tam infeliciter harowleris: aut potius nescio & nescis ipse quid sit quod incusas, modo ut multa garriendo vitilitiges. Quid enim non aliqua designabas id eloquentiae mihi incassum affectatæ, si scivisses: & quia designare non potes, annon melius & hoc turpiculum impotentiae tuæ signum suppressisses?

Tot lectis ex probo selectu Authoribus Latinis ac Græcis, prorsæ, yorsæ orationis, quot legendi incumbunt ei qui feri etiam de styli dextera concinnitate cogitat; magistrum loquendi & bene dicendi nullum exinceps de stylo & eloquentia consului aut frequentavi extra propriam indolem. cui tamen diligenter & certa ratione sic moderare solui, ut animi sensa discerem proximili, verbis efferre clarissimis, aptissimis, paucissimis. Quæ porro de tribus illis sic dictis, aut potius variis *dicendi generibus*, ex varia mea meditatione, solertia, usu consecutus sum hic suppressiens, dico; Sermonem habere clarissimum, rebus unice convenientem, & quantum res patiuntur, brevissimum; ea est in Dogmaticis Eloquentia, ad quam dissertando scribens,

bens, unice contendō, quamque unicam affecto. Ad hanc normam exige alia vice dictio-
nem meam: ac tum cogita antequam pronuncies,
num in his tribus sic peccem, ut tu prae me casti-
gatus Scriptor eniteas.

Speciatim vero quas mihi exprobras barbari-
em, inconcinnitatem & insulsitatem; à censore tali
in stylum meum intortas non dignarer amoliri,
quando eas stylus ipse tuus in stylum ipsum tu-
um tam ridicule retorquet.

2. Profecto si Lectores utcumque docti ad
orationem tuam attendent, non videre non po-
terunt, te tam accurate aliis impingere, quæ us
singulare peculum tua sunt. Et fidem tuam,
Lector! quid styli in Inanitate Hulsi legis? An-
non stylum ibi legis affectatoris manifesto cassi
& auram inhiantis? stylum vere hiulcum? vere
arenam sine calce? vere confusum? vere ineleg-
antem? vere barbarum? vere ἀγαλογίαν? sine salo
insulsumque, & qua virtute non?

Fateor dispuñtum esse passim analectis qui-
buldam ex Poetis Satyricæ dictionis & licentia
Latinis; ne forte dubitaret Lector, Authorem
olim sub Ludimagistro pedaneo, elementa Pro-
sodiæ tractasse. Alicubi vero sermonem pro-
fert Græcis etiam seu solitariis vocibus, seu &
quibusdam pyctaciis intercism; ne qua Lector
in dubium aliquunde traheret, num Author ali-
quantum ex Græcis plus didicerit quam legere
& scribere? At quis neget? paginas cernere,

hic , tessellatas ad instar pavimenti opere quasi
musivo ; illic variegatas ad instar parietis vermi-
culati : id vero eleganti & miscella variarum fi-
gurarum blanditiae, spectatoris oculos & mentem,
spectatione pariter & admiratione singulari ob-
lectat. Ac si quis præstantes stylitui lepores de-
turpatum , tamque delicatos scriptionis tuæ sales
attaminatum veniret : annon is profanus genti Li-
teratæ pretiosissimum cimelium , & tibi ejus
Largitori immortalem gloriam præriperet ,
meritoque suo piacularis habendus veniret ? Non
facile putandum est id à quoquam facinus admis-
sumiri. Interea tamen cautela etiam supervaca-
nea non nocet , nocentque minus prævisata.

Ac pie tecum agens , te non celabo quod in-
terminatur vir quispiam mihi bene notus. En!
refero syllabatim quid insani moliminis in tuis ty-
li omnigenam præstantiam & venustissimos fa-
les intentat , & typis vulgare destinat.

„ Quid ? ajebat nuper ille : An is homo dictio-
„ nem aliorum carpere , tamque superciliosa cen-
„ sura damnare atque traducere audet ? is cuius
„ tota dictio sermoque ne micam quidem refert
„ sinceroris Latinitatis , & ne vel strictura ulla
„ prodit aliquid eum præstitisse in lectione bo-
„ norum Authorum ? Is cuius , contra , tota di-
„ ctio verbosissima , enervis , & elumbis repit ;
„ nisi quod impotenti conatu , at ridicule irrito
„ saltatim assurgere nititur ad instar præfectis alis
„ picæ , aut cuiuspiam ludionis qui choreas stude-
„ get

, ret agitare & plaudere grallis ? Is cuius totus
, sermo leviculus ubique, putidulus, futilis est;
, at simul latus, plenus ruris & inficeriarum,
, ac nescio quibus ex coiliis totus latus;
, ubique morosus, tetricus, feraliter clamosus,
, nec usquam vel semel renidens ? Is qui in ser-
mone suo omnia styli vitia, ut egregias mer-
ces in velabro explicat quasi ac caro vendibiles?
, Acego quidem, pergebat, in me recipio ostendere,
quæcumque aliis exprobrat styli vitia,
visenda jam præstare in sola ejus libri rubrica
aut Titulo. quo in, paucis ut lineis, barbarum
se, confusum, hiulcum, inconcinnum, insul-
sum, atque ædepol insulse solæcum esse, præ-
cursorium specimen edit. Quin & assero,
istud à me sic posse demonstrari & quum libe-
bit declarari, ut ejus Tituli censura critica im-
pleam brevi tempore volumen nihilo tenuius
quam est ipsa tota Inanitas, dum tamen &
doctius, & elegantius, & Lectori utilius. Et
id quidem aggredi quotidie paratus, tam facile
perficiam quam volpes pirum comedunt, aut e-
go vermem contero. Sed attende quid adde-
bat ! Et an putaret ille balatro, addebat, tam
sciam dictioñis suæ turpitudinem redemisse
aut suppleuisse illa puerilis lubidine, nonni-
hil Poeticum aut Græcum ad rem nihil fa-
ciens, addendi ? An illi sunt literaturæ sales,
præ quibus mortales alios ἀγάλγες & insulso-
vocet ? At qui ego sacra mea vix commovens

„ is sum , qui ex altiori multifariae Minervæ &
 „ Apollinis Literatura Latina & Græca , plus
 „ delibatorum à me salium quotidie possum &
 „ soleo excutere ex caligis meis quum eo dor-
 „ mitum , quam vel totus ejus liber continet ,
 „ vel exprimere unquam possit ex largo pin-
 „ guique satis , sed madente , murcido & inani-
 „ capitis sui salino .

Ad hæc dico ego : Si vir ille fuerit à te laceſ-
 situs , & ex veritate dicat se illa quæ audivisti
 præſtare posse ; cave Hulſi , actum est ! Et vere
 quidem actum est : nam egomet vir ille sum ;
 quem ſcis à te inſulſe laceſſitum ; qui que dum
 hæc ſcribebas , jam is tibi notus eram , qui cum
 à variis illis literis varioque ſpiritu ſic inſtructus
 eſſem , tum qui te revera ſic caſtigare poſſem .
 Unde vix puto quenquam Lectorum tui vapu-
 lantis miſereturum eſſe : quinimo , undique ex-
 audiſe videor hilari celeuſmate cum Sapientia
 clamantes ; Euge ! Reſponde ſtolido ſecundum ſtu-
 titiam ſuam ! ne ſit ſapiens in oculis ſuis ! Nihil o-
 minus vereor , eos ad plagas haſce tuas attenden-
 do detefiſci , igitur hic ; ſi placet , respirent .

C A P U T VIII.

Contumeliarum Hulſianarum diſcuſſionem con-
 tinuat ; eas nempe tractans quæ ſunt de Theolo-
 giz , & Controversiarum imperitia .

IV. IN Theologiz Disciplina , quam ſolam ſem-
 per ſum professus , & cujus profeſſioni ſoli u-
 biquę

biq; etiam extranatale solum , nomen meū inscribere volui ; in ipsa inquam Theologia , profesione cuius nonquam ego nisi ut Theologus tibi inuotui , talem me censes , cui aliarum Artium & Scientiarum peritia , non parum de Theologiā axiomate detrahant.

Ergo mihi tanquam Theologo , non unam iurere maculam te visputari & credi ; dum a. Illinc me & tibi & Teutoburgeusi Academiæ tallem denique innotuisse dicas , qualem ironice vocas mereque vis haberi Grammaticum , Poetam , Rhetorem , Oratorem , & tale quid : b. Hinc in ipsa Theologia rudem hospitemque , nullius judiciis sed stupendæ ἀβλεψίας cætitatis hominem , novitium , tyronem ; qui & falso jactem , quod Theologiæ Professor in ea Academia fuerim constitutus ; cum nonnisi ut Lector eo missus fuerim : c. Isthinc vero quod lectiones , quod Collegia vix ulla habuerim : quod ibi Linguæ Gallicanæ hypodidascalum egerim , puerorum lusus &c. &c. Atque ita sub hoc Contumeliarum Capite , debeo Responsionem in tres ut minimum articulorum classes dispeſcere : sed quantum potero breves .

A. Quod ut opprobrium in me jacularis , esse me Grammaticum , Poetam , Rhetorem , Oratorem ; expedio sub una Grammatici notatione ; quando cum revera olim fere cætera comprehendebat , tum ea quatuor jure pari , quocumque demum gradu , in me convenire fatetur . Dico igitur ,

1. Grammatici sane vocati sunt ab ævo, in Literis præstantes Viri : ac tam me non pudet id nomen labore meo utcumque meruisse, ut id percuperem in dies melius ac melius mereri. Nec vana mihi merces inter alia foret, a. Videre in Tenebrionum classe, ilia plurium disrupti; si quidem ipsis vel tacentibus, vel fatuantibus, textus saeros enuclearem; veræ Critics, omnis scientiæ Theologicæ matris aut nutricis, clavim primam haberem, & opes referarem quas semper quando placeret, ipsorum gerris germanis opponerem; ac eos vel hoc uno confundrem, in suasque tenebras retruderem.

Merces etiam esset b. Posse oratione castigata, & ab ornatu ac virtute ad suadelam comparata dicere; ubi hic vel ille tenebrio, tanquam infans & fatuus, vel iterum fileret, vel perperam æmulus, hinc inde loci & temporis audiatur, cerneretur obstrepere raucus anser olori, &c. &c.

2. Ast hac parte me non tantum, Magister Henrice! cavillaris: Sed eadem conviciaris opera Viris omne genus eximiistam mortuis quam viventibus; quorum nonnullis, tu cum tuis similibus hybribus, herbam porrexisse, honori non abs re duceretis: Quin divinis ipsis Artibus conviciaris, ut quæ sint infra te, nec nisi misellis quibusdam ac insulsis ingenii isti meo similibus, descendæ. Ergo quodego non digne satis possem, illi ipsimet eximii Viri, illæ ipsæmet Artes

Artes faciant; ac opicum id approbramentum, in te qua par est retorqueant! Ast tu ne dubita quin & iis opem suam conferat cum suis Logica; arguta illa solersque animæ daducha. Nam à Sororibus nil degener, facile monstrabit suis communem contumeliam; tanto majorem sibi reputatam, quod Logici nomen mihi non exprobrans, eam tibi familiarem esse pertendas videri; quæ immane quantum à te semper absit. Sed & profecto vera Theologia cum suis, severite Ostracismi damnabit: ac te, quod à se divellas Artes, exultatum mittet Argivam, memorando illic ab obesitate bovi locum futurum, vel etiam si voles custodem.

Tantis per vero patiuntur te frendere, metuentem ne qua forte puter aliquid potuisse præstare in Theologia, ex eo quod Teutoburgi, Theologiæ Professor publicus constituerer. Sed dum id patiuntur, rident; atque ædepol ipse rideo. Non fuit, aīs, constitutus Theologiæ Professor publicus, sed missus Lector. Lectorem, vel & Lictorem à te tali homine vocari, mihi sane perinde est: sed non perinde est Veritati, quæ tibi, licet etiam ridens, id impurum os tuum districte batuit, authenticum Principis Diploma & res ipsas memorans.

B. Nec felicius comminisceris me illum Grammaticum &c. publicum et si in Academia constitutum Professorem; fuisse Theologiæ rudem; in rebus Theologicis nullius judicii &c. Namque

jam tūm fuerām in vicina Vesalia per annos undecim Pastor, abs Theologiæ peritia theoretica & practica, laudem & publicam commendationem adeptus, qua mei doctiores quilibet, sive urbi ci sive Advenæ auditores dicere solebant; has non modo conciones ad instituendum populum, sed multo magis exegeses esse ad Pastores erudiendos & præformandos comparatas. Utque millenæ earum circiter & quadringenæ furent, defunctoriis, crudis, indigestisque illis nonnullorum lectionibus Academicis neutiquam permutandæ; ita jam Scientiæ & Judicii Theologici famam veriorem & solidiorem tūm habebam, quam sit ea emendicata, empta, larvata & abortiva quorundam, quæ sensim instar iambidis oleo defectæ, sponte restinguuntur foetorem sui relinquens, ac sæpe quidem ipsis adhuc tum respirantibus auram.

Tu tamen qui hæc nequaquam nescis, putas coram Deo & hominibus, ut sapientis factum consistere, quod me Teutoburgum migrantem, rudem Theologiæ voces? Tibi equidem fatebor, uti meritorum præteriorum famam non æque apud omnes esse tenacem; ita & posse commentitias ejusmodi contumelias tuas, non nullam fortassis in ea plebis parte cui non innotuerim satis, nancisci credulitatem, ac ipsis impone-re: verum cum inde id tuum factum non possit magis, tanquam sapientis esset, excusari; tum sane multo minus, si quoddam mei in Theologia statum

statim ac Professoris, publicum typis specimen,
huc à te susurrone coactus memoro.

Quamprimum publicus essem Duisburgi
Theologiae Professor, in manus fortuito meas in-
cidebat recens emissa, de Generatione æterna
Filiæ Dei, & Morte fidelium temporali *Disserta-*
tio Herm. Alex. Roellii, Professoris Frisonis.
Qui vir non tantum hinc inde per Belgicam dice-
batur Eruditione, at præsertim ingenii Acumi-
ne non habere parem; sed & ab ipso te sic eo
nomine formidatus erat, ut vel si nominatim
provocatus fuisses, ut quidem doctos omnes
provocabat; neutquam ausus es es te in discriminem
adversus ipsum scribendo committere. Ejus au-
tem refutandi partes ego incunctanter suscipiens,
scribem in mensam unum, extemploque
publicæ lucis faciebam librum sub tituto, Davi-
dis Huguenimi Christianus ratiocinans; quo Cl-
V. H. A. Roellii dissertationem de Generatione
Filiæ, & Morte fidelium temporali, Metaphysico-
Theologice discussam refellit; Ecclesiæque Ortho-
doxiæ vindicans, meliorem & verum humanæ
Rationis in omnibus Dei Mysteriis usum substituit.
Duisburgi, anno 1690.

De libro vere Doctorum judicia non allego,
ut possem. Tuum vero nonquam audivi; nec,
utpote rebus impar, audire desideravi: ac mihi
sufficit, quod ille vir acutior te, tam non sen-
tiebat hoc ingenium & in Theologicis judicium,
ita ineptum esse, uti quidem tu vis cernere vi-
deri;

deri; ut is cum sagacior tum prudentior te, tutissimum sibi elegerit aduersum me nil mutire; sed, quanquam disertissime provocatus & proritatus, silentii partes agere. Tu vero qui te sapientioribus vis sapientior videri, non tamen dubites sapientis esse factum, quod hoc quoque dissimulato, me illam Professionem aggressum, qua rudem, qua nullius in Theologia judicii, quaque stupendæ cæcitatibus hominem traducere tentes? Ego quidem cogito te & hic audire & expavescere illud in mente tua gliscens Sapientiæ murmur per Solomonem locutæ, facta stultorum arbitratæ, & stultis respondendi modum effatæ.

Sed argumenta forsitan habes, per quæ, non obstantibus ante dictis, evidenter probes me venisse & perennasse Teutoburgi in Theologia nullum, &c. Unum eorum quidem jam prælibatum est in genere, nempe quod etiam in Artibus liberalibus nomen haberem: ut verum utique est, ac id in pluribus quam memorasti. quod quanti faciendum sit argumentum, jam quoque vidimus. Sed quia de ipsa arte nominatim Grammatica nihil ante scripleram quam biennio circiter post adventum ad vos meum, ac proin post editum *Christianum Ratiocinantem*: juvabit repræsentare quid Grammatice patraverim, ex quo nunc hodieque post tot annos, velis refutare omnia antegressa, & omnia consequuta scientiæ qualiscumque meæ Theologicæ monumenta

menta dicam atque monumenta: iisque omnibus una quasi voce diffatis in auras, arguas me Theologiae cum fuisse, tum adhuc esse prorsus rudem. ac id quidem ~~avantiquissimis~~ & sine dubitatione, quia ~~autem~~ ~~etiam~~ hodiernus Plato Magister Henricus.

Hoc nempe Grammatice patravi. Quum in illis Spartæ novæ initii viderem, experirer magnam in studiosa juventute penuriam ac vastitudinem requisitorum ad veros solidosque in Theologia progressus, quin & ad Lectiones Theologicas intelligendas; ac nominatim adeste inhospitam studii Hebraici desolationem: ego nil de meis functionibus Theologicis intermis- surus, suppetias & hac parte venire decernebam. Itaque paucas intra hebdomades componebam, atque etiam brevi post edebam meum *Dikduk* si- ve *Grammaticam Hebraicam rationalem*, cuius brevitas ipsa, Claritatem, Facilitatem, & Ple- nitudinem ita parit, (promittente titulo,) ut eo nomine parem hactenus non visam fuisse, cum verbis, tum variis progressum in auditoribus ex- perimentis profiterer; ac proin aperte profiteri pergam.

Ali quanto post concinnabam eadem Methodi solertia Grammaticam Aramæam seu Chaldaeo-Syriacam, ea plenitude ut ad ipsos Targumim seu versiones aut potius Paraphrases Chaldaicas, atque etiam Rabbinos Thalmudis ver- fandos, ac, quantum ex Grammatica arte pen- det,

det; intelligendos plane sufficiat. Sed hanc evulgare, ut & Græcam à me quoque compositam, animo non allubuit. Tantum occasione identidem data, dicebam curiosis me præter eam Hebraicam, habere prelo paratas alias quoque linguarum Doctarum Grammaticas meas. dicebam & tibi, Henrice! quia nullam consciens causam ejus odii quo me asperrime proscipi statim occuperas, ingenue sperabam te diligenter, honesta & liberali industria mea sensim permotum, iunctis tandem mecum acturum viribus; adeoque & earum linguarum studia, Hebraicæ præfertim, commendaturum fuisse.

Tu? non quidem studium Hebraicum aperte damnare, quod non audebas; neque Grammaticam meam carpere, quæ captus tui non erat: sed utcumque disimulare; clam apud Juventutem solam, studium id suggillare; ut non necessarium taxare; saltem post decursum Theologiae stadium, demum tractari posse; (post ædificatam puta domum, iaci fundamenta,) certos pauculos textus Hebraici verius ipsis ante suum examen fore præscribendos, de quibus tum per aliquot dies, ut vellent, me possent convenire; ad quid suum Theologiae studium, his Grammatico-pædagogicis tricis sufflamine: Utcumque esset, brevi constitutum fore alium virum, Linguas Orientales solas doctum, easque solas professurum; eos ipso tunc informatore futuro, ad arbitrium frui posse! sed & inter-

interim Hugueninum sub nomine Grammacici,
musteis juvenculis deridendum propinare; hac-
que data rima, labores ejus Theologicos in deri-
diculis prostituere. &c. &c.

Incidit quod ipsum deridiculum addam. Nem-
pe industrius quidam Studiosus, Euclidis inter
cætera Elementis initiatuſ; inter Corallaria
miscellanea Thesibus sub Præſidio meo publice
disputatis subnexuerat, Se mirifice affici Præſi-
dis Grammatica Hebraica, ut quæ Methodo
prope Mathematica, totam artem in dilucida
brevitate traderet. Illinc Hulſio inter suos ger-
rones, ludibrii & derisionis materia; eaque ſæ-
pius ſæpiusque ſic memorata, ut hoc eque ex
ejus ludibrii affuetudine putet Satyrici vim ada-
gii inde obtinuisse illud, *Methodus Mathematica;*
quale & ab ipso meæ Veritati ironice impactum,
supra vidimus. Ita est, Magister Henrice !
quod delictum admisi negare non possum, ac il-
lud tibi palam mundo confiteri cogor. Et ejus
nempe Grammaticæ meæ Hebraicæ, & hujus
Catholicæ Veritatis meæ Methodus, est quan-
tum res tulerunt, mere Mathematica. Sed,
obsecro ! nolito me eapropter nimium ridere !
Innocentissime laplo aliquid indulge ! Conſtent
re ignosce, ipsumque nonnihil clementer ha-
be ! quod generoso pectore tuo dignum factum
mundus agnosceret !

Te, me tñdet, mi Lector ! sed Stolidi stulti-
giam iu lucem proferre, ac publicitus ipsum il-
lius

lius arguere; nonne ipissimum id est quod Sapientia, quodque veneranda Princeps Theologia, suo ex Artibus famulitio comitata, ac Nostrum brevi missura Argivam ad magnum boven, tantisper me nunc inacemat, ac alta cum omnibus suis voce ingeminat; Responde illi! Illi responde stolido secundum stultitiam suam, ne sibi imposterum sapiens esse videatur?

C. Pareo itaque, & quamquam hujus tantæ & tam multiplicis stultitiae fastidiosus, refero quæ reliqua speciem argumentorum habent, quibus Hugueninum probat in Theologia nullum Hulsius.

I. Ut multiplex est ejus stultitia, potest, debet ei nudandæ modus adhiberi multiplex. Sic arguit: Qui tam in Lectionibus quam Collegiis non multos habuit auditores, an is esset Theologus? Atqui Hugueninus &c. Ergo &c.

Ad Minorem, Ornatisime D. Opponens respondere possem me neutiquam aptum natum fuisse, qui ovium Doctor esset aut Professor anserum; quales magnam partem vocari possent studiosi quos ibi in illa barbarie, in illo regno tuo, in illo defectu omnis cultus, ad serium Theologiæ studium necessarii, deprehendebam: quales & aliam magnam partem non absre insigniam populares tribulesque tuos, natalibus & educatione villaticos & paupertinos juvenes, facili & non una necessitudine tibi vel iam obnoxios, vel brevi post futuros.

Amen

Atehim id alioqui santicum respōsum omittens,
respondeo, 1. Posito, nulla me causa abstentum.
docere paratum fuisse, ut fui semper & ero;
multos tamen auditores non habuisse! rudes, no-
vicii juvenes venerant à Doctoribus erudiendi,
non de Doctorum ipsorum Doctrina pronuncia-
turi, aut arbitria justa facturi. 2. Hunc aut il-
lum arbitrati aut persuasi esse doctiorem, an sem-
per solum frequentant? an nonquam non fre-
quentant? an nonquam non deserunt? annon
aliquando ob ejus altiorem captu suo, seu styl-
um, seu didaxin commutant? an nonquam se
seduci passos, ad indoctiorem se traduci finunt;
alter alium ut ovis ovem secuturi?

At at certe hic propter risum tertia responsio
vult audiri; & respondeo, 3. An qualescum-
que adolescentes, persuasi, etiam convicti hunc
Doctorem multo doctiorem esse quicquam altero,
nonquam velex aliquo metu, velex aliqua af-
fentatione, promissione, spe, &c. vel aliquibus
artibus & præstigiis; vel ex præsentaneo quo-
quam lucello, &c. &c. illum doctiorem indo-
ctiori commutare amant? & an nonquam tu,
Magister noster de Hulcio! tale quid audivisti,
putasti, credidisti, & faciendum pertentasti? Ita
me superi ament, id tam sollicite faciendum per-
tentasti ut de simili aut æque fervido & rapaci
Scopelismo viderim, audierim nonquam. Hos
truculente terrendo, istis assentando, illis eti-
am te humiliatum, & quasi precatorem obtru-
dendo;

dendo ; aliis hoc commodum , istam conditio-
nem , illam promotionem promittendo ; aliis
operam omnem tuam gratis addicendo ; aliis offi-
ciorum , conjugiorum , fortunarum , & nescio
quot montium aureorum spem faciendo : alijs
non tantum clavim prophetiarum , sed tabulas
propheticas quasque Prutenicas illas , de ma-
gnis omnibus in Ecclesia & Mundo futuris even-
tibus concinnatas , ac tantum non clarissime ip-
sum Spiritum propheticum , pollicendo : Et ea
quidem omnia , si forte an opus videres , firma-
tam jurejurando fidem obligando : aliis ipse pro-
pinando , alios etiam convivas adhibendo . His
similibusque , ita nos vident superi , artibus &
technis , novicios incautosque juvenes , in cas-
ses tuos capturam & prædam ducere sollicitissi-
me advigilabas . idque per electos tibi quosdam
in castigatos & male feriatos ædolescentes gna-
thones tuos ; quibus ut Corycæis & circitoribus
utens , etiam iis (proh quanto in Theologicis ju-
dicio !) pecunias largiebaris ad symposia cum
fuis conscriptis , cumque aliis conscribendis
agitanda ; non sine æmula Orgiorum intempe-
rie .

De his quum non nusquam incidisset sermo ,
vir quispiam doctus , emunctæ naris , & utrius-
que nostri bene gnarus , interloquebatur , & ar-
gutia joco-seria dicebat : „ Ut audio , hactenus
„ quidem Hulsius strenue Scribas & Phariseos
„ imitatur , qui mare & terram circumibant ut
sibi

, sibi protelytum vel unum facerent : Attamen,
,, ut spero , suos affeclas non perinde faciet filios
,, gehennæ duplo magis quam est. Et , DN.
,, Huguenine ! petebat ; Annon caterva sua sti-
,, patus, bonum suis omnibus exemplum præ-
,, bet Lectiones tuas diligenter frequentandi &
,, audiendi ? Quod si facit, omnia ipsi permis-
,, sa sunt ! quando hac ratione non tantum non
,, male facit, sed & suis , & sibi ipsi , bene ac
,, sapienter consulit.

Istud eapropter hic refero , quod immane quantum in contrarium peccabas. Neque enim tantum eo laborabas ut quam plurimos,imo omnes si fieri potuisset , ad te pertraheres ; sed ut te solum , tanquam unicum , audirent , ac non etiam me ; quanquam vicibus dispertitis , id ipsis per tempus & Superiorum destinationem vacabat. Quin & eos qui se mihi diligentiores præbebant , & qui præsertim actibus publicis , Præside me , defungebantur ; totus infrendens persequebaris , eosque male ulcisci , quæsito prætextu , studere solebas. Tam vehementi scilicet cæstro livorem potuit in mercenaria arrogantiique anima furiare , tam lucelli cujuspam odor , qui ex percipiendo didactro ibi locorum spirat ; quam futilis in opinione hominum eruditæ famæ fames.

Hæc autem omnia palam iis in oris , per ipsam experientiam nota , & supra omnis commenti speciem posita atque indubitate ; revocant in

memoriam quod & in me ipso per id tempus con-
tingebat. Nempe contingebat non vice simplici,
sed omnino bis, ut in ipso domicilio meo , ego
inermis & tam innocuus quam si non natus,
ex improviso impeterer , truculente stricto in
me gladio : quem nisi utraque vice ex aggresso-
ris manibus extortum ipse fregisse , latera mi-
hi transfossurum fuisse , in propinquuo negotium
erat. Et quamvis duo cives Academici essent
qui id facinus attenterant, querela & inquisitione
prolixiori neminem prolequebar : imo sponte o-
rientem suspicionem de te , quasi eos subornas-
ses , in mente compescebam. Redibat ea qui-
dem cogitanti, quo præpostero simul ac ridicu-
lo fervore omnium quot poteras Studiosorum
animos , tum à me avertere , tum in me exacer-
bare & concitare ut in quempiam capitum mino-
rem , annitebaris : Me extraneum & peregri-
num : Me exotica gente hominem ; ut Lingua,
ita & ingenio Gallum ; Gallos autem Nationem
ex rerum natura penitus abolendam, excinden-
dam. Redibat & eadem suspicio animum
advertenti , nefarium id discrimen utraque vice
sub tuo Rectoratu mihi obtigisse : quum præser-
tim & insuper ea occasione ab honestis homini-
bus admonereret tuis in me structis insidiis , à
quibus mihi caverem. semper tamen hactenus
eam suspicionem averruncaram. Quum vero
nunc te in meum honestum nomen tam sæva li-
bidine grassari conspicor , vix possum aut debo
dubi-

dubitare quin jam tum eosque Vatinianum & internecinum esset id in me tuum odium , quo tam præclarum quid facinoris , potis esses in me machinari.

Quod ut interea suo loco relinquam , non patiter intermitto , ea cuncta recolligens , Lectorem interrogare ; Annon tibi videtur , quisquis es honorande vir ! Sapientissime argumentari Hulsius ? At certe à paucitate auditorum sola , inscitiam arguere , Sapientis non est . Ab ea sola arguere , ubi aliunde eruditionis argumenta affatim suppetunt ; nec Sapientis , nechonesti hominis est . Ab ea sola arguere , ubi etiam tot adversa molimina eam peperint ; improbitissimi censoris est . Ab ea sola arguere inscitiam , eum qui tot adversa molimina ipse machinatus est ; id vero quid ? nisi se ipsum nequissimum & impudentissimum Nebulonem insuper prodere est , aut si mavis , malitiosissime fatuantem fatuum ? Utque dubio procul iisdem machinamentis me sufflaminare ac supplantare fategisset , etiamsi me redivivum illum seu Hieronymum , seu Augustinum scivisset , qui centenis illis Patribus se Doctiorem proclamat ; ita sane prorsus idem arguere potuisset , & non seguiter argutaret . Quin & forte se illis easpe demum ratione tam immaniter præfert , quod ex honestissima eorum sanctaque vita conjectet , eos nonquam pares vel sibi fuisse vel futuros fuisse in juventute circumvenienda , concutienda , & dolo opprimenda ; id est ,

est, in immoderatione quam ipsos milites veteratbat S. Joannes Baptista.

Utcumque vero sit, isthuc ex veritate nuda reddit ejus argumentum: Quomodo in Theologia non rudis, & inepto ingenio non esset, qui Studiosos ad se non pellicit? qui meas artes non novit? qui mangonium illud & subtile plagium nequidem à me praeunte discere potuit? qui quadruplatorum artis & veteratoriæ fraudis utilitatem ad emungendos suis pecuniolis adolescentulos, non animadvertisit, non intellexit, ad nullum suum commodum certatim contra me exercuit, vel exercere potuit? imo qui, si ex ejus stupidis moribus judico, tam obtusi pectoris est, ut ea cuncta semper aspernatus fuerit? *Venuste profecto, & argute!*

Ast & fatuantis fatuitatem intendit, quod justissimas Ecclesiarum & Classem querelas, frequentes jam dudum expertus de eorum Candidatorum ignorantia qui ipso Doctore solo sunt usi; eas in se graviores excitet derivetque hac scabiosa luxurie sui commendationem tam importune instrependi, tamque argumentosam Camarinam movendi.

4. Verum tamen vero, subtilissime D. opponens! ego tibi curam relinquens ejus exedundi quod totum tibi interis, respondeo amplius tuam Minorem esse ex ea Logica, quæ tibi, ut palam est notissimum, familiaris ars est impudenter mentiendi uno verbo! *Nego minorem.* Utque nou

non negem nequaquam defuisse inconsultos juvenes , qui corruptelarum tuarum technis circumventi , ex ingenua informatione mea abducenti fuerint , (quod quanto cum conscientiae tuæ solatio , ipsorumque institutionis commodo feceris , penes te est :) ita Veritas ipsa tamen attestatur , me honestos juvenes per id tempus auditores meos , &c quidem sic informatos habuisse , quorum vel una ex pluribus centuria , plus veræ & solidæ institutionis ac scientiæ à me reportarint , quam à te potuerint quotcumque illi tui circumventi portantes ; nugatoriis illis tuis S. Scripturæ ac nominatim Propheticæ explicacionibus sic nequicquam inhiantes , ut ingenua miseratione non ferat eorum ignorantiam has in chartas referre .

Unum sancte protestor ; eos , nempe , quotquot paulo ante subeundum Candidatorum examen , consciit suæ in auditorio tuo perditæ operæ , veniebant apud me capitalia Theologiæ Dogmata repetitum ; eosdem omnes , inquam , ita rudes fuisse , nonnullos etiam in puerorum Catechismo , ut mirari satis non possem atque miserari . Quod ipsum alicubi pie à me narratum , statim ac in aures tuas per tuos Corycæos perlatum esset ; severe cohortabaris omnes , utejusmodi repetitionem imposterum à me requirere caverent . Ac ne quidem unum istud referrem , nisi res in eas querimonias publice erupisset quas duobus verbis modo tetegi . Sed detuo Scholasticō

stico Mangonio affectatoque monopolio ut ad. huc paulum quid libem, ipsa res infra dabit, & jubebit Veritas: in cuius gratiam quo ulterius hic pergo, eo me inclamat aitius Sapientia, Euge! Illi fatuanti responde stolido secundum stultitiam suam; ut ne, si quo modo potest, sit deinceps sapiens in oculis suis, & tantopere fatuari ac bauri perget!

Illa jam in argumenti tui Sycophantiam responsa, honestissime D. opponens! retundunt quæ ad eandem ignorantiam in Theologia meam probandam appendis. Ea duo supersunt; quæ, ne te ludos fieri causeris, etiam strictim examinabo.

II. Igitur argumentum & tibi est; Pueri ipsum deriserunt; Ergo rudis in Theologia & nullo judicio est.

Respondeo autem, 1. Ut concedam fieri potuisse; miror quomodo tibi tam altum te extollenti, & ad Prophetæ singularis encomium aspiranti, nondum in mentem venerit, te, ut supra omnes Patres immenso intervallo, ita aliquo ut minimum gradu supra Prophetas, vel saltem supra unicum efferre. Vah! ad rem tuam nondum satis attente! Quare ut de me argumenteris. Ipsum riserunt pueri; Ergo me minor Theologus est: ita non pariter argutaris; Pueri ludos fecerunt Elisæum; Ergo non is mihi par erat Propheta? Hoc dubio procul tam evidenti ratiocinio, faceres apud multos fidem amplioris

ris adhuc tuæ in Prophetia præstantiæ : unde plures Discipulos , plures pecunias æruscans coraderes. Quid putas ?

2. Si ludionum puerorum catervam , me ludificantes vidissem , teque ipsum in medio alacriter ad exemplum cachinnantem ; vos me derisistis , fateor ; & hoc quidem non nego : sed non derisus fuisssem.

3. Nescio tamen hunc derisum : nil tale vidi aut recordor. Et appareat hoc etiam ex tua pudente illa Logica in argumentum proferri. Te forsan ridentes adspexisti saepe pueros ; ut quidem non unum ridendi spectaculum argutula illa gens in te facile speculata fuerit , atque considerarit : five , nempe , tui quadraturam circuli , aut potius Globi ; five Herois illius Thyrfigeri faciem ; five motuum & scituli gressus texturam , &c. atque id , pro uno tuæ Logices topico , de me dicendi quod tuum est , mihi affinixeris. Ut cumque sit tamen , non tanta esse potuit ridendi causa pueris ex adspectu meo ; quanta tuis asseclis , ære , tempore , opera sua fraudatis causa fuit &c est , ex te viso flebiliter genti.

III. Appensum cum præcedenti , alterum istud argumentum habet ; jam pariter cæteroque per præcedentia elisum. Hypodidascalum Linguæ Gallicæ inter nos egit ; Ergo scientia nulla , nullo judicio est in Theologicis.

Respondeo I. Agnosco clementiam tuam .

qui saltem me non etiam neges Linguae Patriæ peritum : quin potius innuas ejus me satis peritum , ut qui illam docere potuerim. Magnis enimvero Viris , in præcipuis votis erat Linguam sibi patriam percallere , ex. gr. ipsi Ciceroni : qui sibi nec contigisse esse tam felici ut Latinam percalleret, ipse non uno loco fatetur.

2. Cave ne ex nimia illa tua in me Clementia, me nimium extollas : imo , quod superis sit dividiae, supratemet ipsum ! Nam publica exstabant antehac monumenta , tuæ in idiomate vernaculo tuo imperitiæ. Sed , puto , omnia ante recognoveris & recuderis, quam ista scriberes. Recuderis tuum *Collyrium Augen* . *Salb* / tuam *Sulamith* : non omissa tuarum Vallium Prophetiarum nominatim una , qua quod in Græco textu est κατὰ κέντρα λαχτίζειν , reddebas Latine , *contra stimulos lingere* : & quidem haud dubie quod cum Græca illa non satis intelligeres , prudenter configisses ad versionem Germanicam tuam, ibique legisses gegen die Stacheln lecken / & probe observasses quod lecken / Latine sonet *Lingere*. Vide quæso ! quid non hic possent faceti homines cavillari si illa non recudisses ! Profecto , dicherent illi , iste non intellexerit Græcam vocem λαχτίζειν , neque etiam Latinam *recalcitrare* , quæ nequaquam sonat cum *lingere* : imo neque germanicam lecken / quæ ut passim & frequentius alibi significet *lingere* ; ita hic , ut & non raro alibi , cogente vel ipso contextu , mani-

manifeste significare debebat *relectari*. Explicare textum sacrum, pergerent illi , Hebraicum, (quod & infra patebit,) Græcum, Latinum ex Versionibus Germanicis; ignorata etiam lingua Germanica, Materna sua lingua ! Hæc vero demum est Peritia ! Illud dénum est Judicio magno pollere in Theologicis ! Vivat Hulsius, vivat ! Et sic multum te riderent. Hui ! quam belle fecisti quod illa omnia sellis Patroclianis custodiri data, de integro recuderis !

3. Ego certe nonquam nusquam quicquam docui aut professus sum sub Hypodidalcali aut Didascali nomine : nec adeoque linguam Gallicam docui alio nomine , quam quo vir honestus quilibet , honestis quibus ipsi placet de sua lingua aut Dictione quod vult impertit , vacivisi quæ sunt sibique arbitrariis horis. Id vero subinde rogatus , cedere solui ac hodieque soleo cum in Linguis , tum in aliis omnibus quæ cum meæ facultatis & prudentiæ finibus , consistere possunt. Ac proin & hic ex pudica Logica tua argumentatus es ; quæ ut mendacium Veritati , ita & vituperium Laudibus substituendi artem tibi singularem præstat.

4. Cæterum, pro sinceritate mea profiteor, me libenter acceptaturum esse Hypodidascalii Gallicani titulum & Spartam in proxime mihi monstranda Academia tali , in qua Professoriis dignitatibus singulo cuivis pro eruditione meritoque suo dispertitis , locus quo ex justa distribu-

tione & censu dignus essem , alius mihi patere non posset quam Hypodida scali Gallicani. Quin & , ita me videt Deus ! toto pector^e desiderarem tum eam talem Academiam dari , tum me ejus civitate ad id munus donari. nam mihi parata foret larga discendi facultas. Verum vero , quocumque in Mundi angulo talem Universitatem fundari & erigi detur , plane vereor ne in ipsa , tibi omnis docendi quantuluscumque locus sera & repagulo præclusus sit. Tibi tamen ex prisca tui notitia , ego quod potero patrocinabor ? speroque tantum efficere ut inter Urbis servitia adscriptitius , optionem alterutrius habeas. An nempe tu (s. h.) *Hypo subulcus* , an potius *Hypersubulcus* esse velis ? Utrum autem elegeris , non deerunt porcis siliquæ , (Germ. *Hülsen*.) Hoc eatamen conditione tibi promitto , ut si , rebus literariis in statu quo , proh dolor , manentibus ; tu in posthac conciliando^s à te Lutheranos & Reformatos primariam absque dubio Superintendentiam capeffis , recorderis me promovere in tuum Capellatum !

Interea vero , Cordate mi Lector ! Contumelias haec tenus hoc in Capite refutatas , brevius , & fortasse tibi commodius expedire potuisse , si contempto Nostri clamore , tantummodo regessisse , quod per id tempus de quo loquitur , contingebat : nempe singulari plane modo me altius promoveri. Et an non sufficere potuisse putes si duntaxat dixisse , Grandiloque Ma-

gister

gister Henrice de siliquis ! atqui tamen Is infranitius sui laudator ; Is ingenio stupidus & ineptus ; Is stylo barbarus , hiulcus , affectator . inelegans & *caeculos* ; Is in Theologia tam rudis , tam nullo judicio , tam stupida cæcitate , non nisi Lector ad vos missus ; Is , inquam Grammaticus , tam paucos auditores nactus , Linguæ Gallicanæ Hypopodidaſcalus , & puerorum ludibrium : Is ipse est qui his in oris extraneus solusque , singulariter honorifico Diplomate , ab ipso Electore , nunc etiam Rege , dato , ac ad ipsum recta inscripto & missio ; nullo prævio Academiæ , ac multo minus tui singulari suffragio , nulla solita trium Nominatione ; fuit ex Professore Theol. extraordinario in Ordinarium promotus , simulque Latinus Academiæ Concionator , & Gallicanus Pastor constitutus . uno verbo , Is ipse est quem ea Dignatione honorificentissima Rex ipse supra morem prosequutus est & extulit , qua simili nonquam vel tu , vel tuipares fueritis honorati ; neque etiam posthac , insana tua ambitione despecta , futurum sit honorari ?

Audire videor , istud omnino sufficere potuifse . Et revera nisi diva Fatua hominem infatualset , illa convicia nonquam vel sola mente ausus esset commentari ; multo minus , omni ſic exuto pudore mentiri , & tam clamore baubari . Quis enim non videt , similia quantacumque ſunt approbamenta , in ipsam Regni administrationem præcipue recidere & refundi ; quæ & viſu , &

si diis placet, omnibus sensibus orba, talem me virum vel dumtaxat adspexerit? Et certe qui minus aliquantulum se ipso plenus & ebrius fuisse, reputasset ea quoque parte, id contumeliarum suarum exundare cacoethes: ex quo non fessi qui non posset, Lupum auribus tenere; præsertim si pro stultitia sua stolido responderem.

Atqui istud ipsum est, Candide Lector! quod, uti vides, non facere non licebat. Nam & in pia sinceraque mente mea Sapientiam tam altum clamare sensi, *Responde stolido secundum stultitiam suam*, ut eam multiplicem stultitiam singulatim non notare, esset non satis obedire. Eapropter nec omittam hic addere quod sensim magis ac magis manifestat, Nostrum esse ex eo genere stolidorum, quibus scelerate se gerere, ludus est & risus *Prov. 10. 23.* Scilicet, ea mei promotoio, jam tandem mihi partes cum ipso æquales, id est, jus & autoritatem in Facultate Theologica, in Senatu, adeoque & Magistratu Academico parem attribuerat. Quo proin ipse nuncio, quasi fulmine tactus & porro sideratus frendebat, intestinaque surdo murmure sibi corodebat: siquidem tanto altioribus cuniculis operam meam sufflaminare, utut in cassum, impotenter moliebatur.

Rerum optatae conversioni positum erat fundamentum: eaque sensim procedente, hominem tam stulte *ωπορθεύοντα*, at primas eas partes suas alio transferri & transire videntem, incredibiliter

biliter angebat retusi fastus impatientia , atque
discruciat. Interea que contingebat ex Dei pro-
videntiae viis tacita humilitate exosculandis , ut
aliunde me percieri sentirem , totum id quod
fuit & futurum erat Academicæ fortunæ & splen-
doris , Deo & Regi resignare. Ast ibi vero quid
animi fuerit Noster , tam ex auditu non habeo ,
quam qui ne percunctari quidem fuerit dignatus :
at certissima tamen est mihi conscientia , nil gratias
ipsi quicquam à me obvenire potuisse , vel forte
ab ullo mortali unquam obvenisse , ac illa Spar-
tae ejus meæ abdicatio . Jam autem ipsum eun-
dem in meam famam sic effrenate grassari ; pe-
rinde ac Deizelo corrosus , Evangelii gloriam
ultum iret bipes improbus & nihili ; quænam
hæc tandem est efferæ improbitatis intemperies
& versura ? eo nominatim redundans ut quasi ju-
ra adeptus mihi postliminio conviciandi , me in
ea qua nunc sum conditione recenti ; dementer
lacestat ? Huc autem præcipue & ejus destina-
tione singulari facere videntur quæ duo sum-
maria contumeliarum postrema notavi ; quin-
tum nempe & sextum : quorum priori illo Cap-
put istud finiam.

V. In Controversiis Disputator sum , Hulso
pronunciante , tenebrio , andabata , ad rerum
capita non assurgens , sed caudam duntaxat ad-
mordere aptus ; cuius ideo Liber Catholicae Reli-
gionis Veritas , sit in eo genere tam jejunus , mi-
serabilis & indoctus ut simile quid aut æque in-
doctum

doctum ab ullo vel intimæ plebis mortali , tota
vita sua non noverit unquam : ipso Deo eiteste.

Libri aut Inanitatis tuæ præstantia ac stylo ele-
ganti , digna sunt conditura & salgama , quotquot
injuriousos in me titulos perspergis : quales hic
Tenebrio , Andabata . quos neque hic alia cau-
sa repeto , quam quia risum denuo mihi movet
memoriae tuæ tenacitas , ingenique tui mira sa-
gacitas ; ex quibus tam exquisite noris aliis im-
pingere , quod vere Sapientes de te scriptisque
tuis jam diu senserunt atque etiam pronuncia-
runt . Ac à te ita manifesto Tenebrione & An-
dabata sic vocari mehercle malim , quam alio
modo laudari . Tantum igitur ad concomitan-
tia duo cavilla respondeo .

i. Priori dicis me non assurgere ad contro-
versiarum capita , sed eaudam tantum admone-
dere .

R. Tibi forte id videtur ; sed nec morarer
nec mirarer , qui tuum in cunctis rebus Literariis
judicium feci semper nihil : quiq; id constanter
& ubique , etiam à doctissimis , (præfiscini ut
reliqua dixerim ,) audivi ; quo & plane con-
trarium judicabant , & scandenti ingenio minus
obsequi suadebant . Sed qui id de me judicium
Sapientum dubio procul audisti , pertendis ex-
probratione tua id ipsum de te venire judicium :
ut ita cum pingues nævos tuos mihi allinas , tum
commutatione facta , laudem meam tibi vindices .
Quis astum non laudet ? quis conatum non

præ-

prædicet? Nam sic tandem fiet ut saltem fortasse dicas, *Iam sumus ergo pares.*

Sed cogitare subit, tuum hoc de me judicium ferri in eapse Inanitate quam meæ Veritati opponis; quod & judicium vis ad ipsam speciatim referri. Ex duobus ergo fiat unum hoc cavillum! *Hugueninus Controversiarum nonnisi caudam admordet, ut videre est in ejus illa portentose indocta Catholica Religionis Veritate.*

Resp. I. De Apologetico hoc meo quid vere docti, iique omnes & singuli de quibus inaudierim, senserint & sentiant, tui causa non referam: nihilque dico nisi quod post eorum sententiam, vel oretenus, vel scripto, vel relatione mihi cognitam; mihi de tua hac tali non gratulari non possum. Namque mihi perspectissimum est, eos omnes & singulos, ipsum id judicium tuum pronunciatores tam jejunum, tam miserabile, & tam portentose indoctum, ut abullo etiam infimæ plebis mortale, nihil æque vecors audierint. dicent & dubio procul, nihil æque stultum: si quidem ipse tu ejus dicti judicii tui immemor, non raro per tuæ Inanitatis decursum, meas pro Fide Catholica militantes explicaciones diserte præfers nonnullis Catholicon Doctoribus maxime inclytis: imo & , si bene recordor, ipsis quandoque Conciliis. Nempe ut Mendacio ita Stultitia excellis, quæ tui non sinit te memorem: ei accedente insuper, quod mox infra se prodet,

Resp. 2. Quis etiam vel invitus te hac quoque parte non riserit? qui hæc deblateres in eapte Inanitate contra meum Apologeticum scripta? qua in profecto non modo prodis, te eum non intelligere, sed te adeo jejunum, tenebriōnem & andabatam esse, ut nullus infimæ plebis homulus tam fœde potuerit innocentes conspurcare chartas; quod jam superius ostensum, memorare cogis. Actuam Inanitatem in conflictum admissam contra Apologeticum meum, non dubita visum iri quempiam macritudine exhaustum strigosumque Lyciscam, in publici spectaculi arena oppositum generoso Leoni: cuius hercle non caudam, non extremum caudæ floccum admordet, solo contemptim obtuentis supercilio territus latrator; satisque proin periclitans, quodhac illac circumcurfando, eminus ausit bau-
bari: quasi vel amphiteatrum in opem suam acclamet, vel athleticæ strenuitatis facinora edat, vel Athletam sedente sic externari putet; vel potius quasi id esse triumphum, Spectatores autumaturos confidat.

Quodcumque vero est; hic tui defendendi quædam se præbet occasio, quamut elabi non si-
nam me jubet sinceritas. Lectores scilicet au-
dio non obscure mussantes; Quid? Hæc sane
tanta hujus hominis fiducia de reportanda per
suum librum victoræ & triumphi gloria, non
potest injuriosa non esse in integritatem nostram.
Nam quomodo crederet ullum Lectorem ipsi

victo-

victoriae palmam adjudicaturum esse, nisi simul credat eum Lectorem in sui libri gratiam, contra veritatem & æquitatem pronuntiaturum esse? Apage illum à me quidem! Ipsius gratia nec mentiar, nec æquitatem fraudabo. Sic unus, sic iste, sic ille loquetur; sicque loquentur omnes. Sed pace vestra, Cordati Lectores! Vobis ego recipio, hanc non ejus esse mentem; hanc non ejus esse de vobis sinistram opinionem. Quid igitur?

Paucis narro verbis quod rem explicabit. Semel, bis, identidem à me sincere monitus Hulsius; Præpropcram & defunctioniam illam Theologematum suorum scriptionem, defecati secuti doctis viris non fore favorabilem; Caveret ne cum sequioris famæ notam apud eos incurret; tum ne de Lectoribus suis abjecte nimis sentire, sentirent ipsi Lectores, ac ipsum honoris sui dissimilanter ab ipso fuggillati insimularent! Respondebat Hulsius, meam simplicitatem albis dentibus irridendo; An putaverim ego multos talia scripta legere? Ut pauci forte legant, addebam; nolunt vel Lectorum unus ab ullo Scriptore despici. Tum Hulsius ambas mihi buccas inflans; Attamen non intelligunt. Nimirum hæc præsidenti Nostro est quidquid in penum fluxerit scribendi securitas; Lectores tamen non intellecturos esse. Et hoc quidem non abs re; quandoquidem ipse, tum saepè non curat intelligere quod scribit, tum saepè sentit, vel etiam

affectat esse sine mente sonos, & sensus expertia quæ scribit : qualia certe multo majorem partem scribit.

Omnino non possunt illae juxta nugamenta, cuma sub vario nomine, tum singulatim sub Pseudocatholicæ Inanitatis titulo consignata, melius excusari ; quam quod confisus fuerit, ea tamet. si non intellecta, opinionem tamen qua sagacis & eruditii, qua supra vulgus eminentis ingenii, quomodo cumque tandem obtentura atque reportatura fore : eorum præsertim commendaturis præstantiam & super astra evecturis, Hulsiæ famæ buccinatoribus illis studiosis ; quibus, omnis Artis & Scientiæ penitus ignaris, digniores se Laudatores non poterat ex tota Boeotia eligere, & technis ante dictis circumventos, sibi aptiores conciliare. Verum vero fateri cogor hanc excusationem non excusare scriptitantes Hulsiū : ac fortassis accusationem geminare. Nam mihi Lectores instare subaudio: Ergo utrumque in nos injuriosus est ; nempe cum in integratem nostram, quasi pro non intellectis stemus, rum in judicium nostrum, quasi intellectu carentia, intelligenter scripta esse judicemus. Apagesis illum à me, qui non tam facile patior me nasso suspendi adunco ! Sic unus, sic iste, sic ille loquentur ; sique loquentur omnes.

Ut vero possim videri ea de ipso narratiuncula supersedere potuisse, fatearque me talia non referre nisi vi quadam illata in meam generosioris p-

etoris

etoris honestatem ; attamen apud me reputans, Hulsium eadem aliis quæ mihi omnia dixisse ; ac proin quainvis ea tacerem , vulgo satis nota esse ; me quicquam peccare non sentio. Et annou pro veritate tuenda id mihi planissime licebit, quod sibi pro mendacio tam licenter indulget ? Ac quomodo cæteroqui satis obsecundarer Sapientiæ , quæ hac occasione si unquam ad me vocem edit , Responde stolido secundum stultitiam suam ; ne porro sic dementer pergit sapiens sibi videri , sibique Sapientiæ ipsius dictaturam arrogare ?

C A P U T I X.

Eandem contumeliarum Hulsiarum discussionettæ
continuat ; utimam nempe tractans,
quæ est Asinaria .

Quem sexto tandem contumeliarum Hulsiarum loco posui succedit Asinus ; quoniam menclatione, ut eleganti, florido, modestoque suo stylo digna, & à capite ad finem Inanitatis intercalaria , me tam saepè designari affectat , ut totum ejus librum emensus Lector , non possit sibi non videri per Arcadiæ pecuaria longum obtusis auribus iter fecisse. Neque vero nomen Asini tantopere abominor ; quod insignes olim viri sibi proprium esse non moleste tulerunt. Ut

que post tot alios, Asini laudes non scripturus sim, me tamen eum fateor qui ut omnes animantes, ita nominatim innocens illud, mansuetum, laboriosum, patiens, utile, frugaleque animal Asinum; humanitatis & benignitatis placido quodam & blandienti sensu complector. Etenim non tantum quod attinet ad corpus, auriculas Asini quis non habet? sed quod ad ipsam indolem, non una viro Sapienti cum Asinocognatio intercedit: ac utiam mihi quoque plures!

Verum vero quo jure qua injuria factum sit, ut Asini nomen in triviale dicterium abierit; veniatque animal reapse nil magis socors tot aliis, in symbolum & emblema stupiditatis, insulsitatis & ignorantiae; istud quidem non scisci tabor, ut nec scissitatus est Hulsius: cui satis fuit id esse triviale scomma, quo mortalium vel respectissimo bipedi, insignis & atrox fiat contumelia. Enim vero si per undecim annos, non Juventutem Theologiæ sacram in eadem qua & ipse Academia docuisse, sed porcos ejusdem Pagi cum ipso pavisse; non licentius, nec truculentius iram in me suam, Asini vocabulum ingeminando, attollere & debacchari potuisse. Et an omnes honestos cordatae humanitatis mores in me tam immaniter violari ab Hulso sensisse, ac non simul audivisse à Sapientia clamari; Responde stolido secundum stultitiam suam ne sit sapiens in oculis suis? Utique vel in hac una ab Asino contumelia satis ejus stultitiae fuit, secundum quam

quam respondere tenebar stolido. ac secundum
eām ipsi respondens , hic etiam quam paucis po-
tero verbis agam.

1. Jam ego portæsus modestiam hic meam
tam importune incilari lacestisque , dum pro
compromisso quantulamcumque eruditionem
meam propugnare cogor ; nihil hac in responsio-
ne de me ex professo præmittam , nisi quod hoc
momento in pennæ mucronem cadit. Nimirum
me non recordari , unquam ab ullo qua magno
qua parvo gentis humanæ consorte , mihi sic in
os impactum fuisse id insigne Asini : quod & in
Authorem retorsisse , satis esse possit videri. Sed
quia nihil id aliud esset quam respondere stolido
~~πρὸς τὸν ἔχειν ἀφροσύνην~~ ad suam stultitiam ,
quod Sapientia vetat ; ipsi respondere pergam
~~κατὰ τὸν ἀφροσύνην αὐτοῦ~~ secundum stultiti-
am suam , id est responsione tali qua dediscat esse
sapiens in oculis suis , quamque Sapientia mihi
præcipit.

2. Igitur aptius nihil video , quam operam
navare ut se noster Opponens intra se ipsum quæ-
rat , nec se quæsiverit extra : utque adeo bene &
diligenter hic saltem loci perpendere velit , qua-
lis & quantus sit eus ille Ingenii & Eruditionis
modus ; cum quo gregarii , & nominatim ego
collatus , Asinus haberi possim & publice pro-
clamari. Ingenue & ut coram Deo loquens , quan-
quam scapham scapham vocans , subitariam Doti-
um & Doctrinæ Hulsi adumbrationem edam ,

ab ipsa rerum experientia qua is mihi per id undecim annorum tempus innotuit, unice repetitam. Tametsi enim non obscuram sui totius effigiem in Inanitate sua ipsemet delinearit, ex qua Lectoribus innotescat; in ea tamen nec ipsa imaginis suæ lineamenta vera discernet; nec Lectores accurabunt, ipsum ex ea revincere.

Est itaque H. Hulsius non inclemens Astrorum positus natus, ut qui à bona corporis constitutione sit sanus, vegetus, robustus; & cuius in insigni plethora, sanguis probus, excitatus & fervens præcipue abundat; joviale natus aptus exercere dominium. Hinc & sensus omnes habet satis vividos; ac eum qui dicitur communis, velocem præpetemque. At Imaginationis sic dictum sensum, habet certe præstantem, amplum nempe, promptum & multiplicem; cui accedens validus Phantasiæ sic dictæ vigor, hominem inter eos notabilem & memorandum facit, qui singulare à Natura donum fortiti sunt persuadendi iis quibuscum loquuntur, id totum fere quod lubet. Etenim id hominum genus non ore tantum, sed omnibus quasi excitatis sensibus totoque corpore, summa præsertim pectoris, faucium, vultus & oculorum contentionе loquentes, ac omnem dubitationem & cunctationem procul semper expludentes; facilime, seu afferant vel negent, seu adhortentur vel dehortentur, quemvis audientem & adspectantem non probe cautum permovent, & ad quam-

cum.

cumque assensionem , quocumque demum corporis humani mechanismo , trahunt coguntque . Et tales eos , organa tuisse magnarum in humana societate conversionum & catastropharum , Historici & Experientia tradere conspirant .

Hæc autem omnia cum in se ipsis considerata , sunt dona Naturæ neutiquam aspernanda ; tum vero postremum hoc de machinali efficacia persuadendi , in disciplina Morali se ipso indifferens , potest in magni seu boni seu mali causam abire ; prout Societatis rectores & administrari , prudenter & opportune singulorum hominum dotibus , virtutibus , etiamque nævis moderari fategerint . nam ejusdem rei cuiusque & usus datur & abusus . Sed ut in eam partem sermonem non prolequar , agnoscamque hactenus egregia quaepiam , ex constitutione præsertim corporis , in Hulso naturalia ; Ingenium ejus & Eruditio- nem nunc attendo .

Quod ad ipsum attinet *Ingenium* , quo vim aut facultatem intelligendi designo ; à Parente Natura fortitus est neque parvum , neque magnum , sed in commendabili mediocritate consitens . An autem ab Educationis in tenera ætate defectu ; An vero ex providæ & solertis institutionis in pubertate , penuria ; An singulariter ex præjudiciorum indomita tenacitate evenerit ; undecumque demum evenuerit , habet certe Nostrum Ingenium , qua corporis sensibus , qua affe- citibus animi totum subjectum , obnoxium &

obsequens. Cumque sensus habeat nobis jam dicitos vividos & solertos; certe rebus socialibus & practicis & negotialibus, ab Ingenio aptus impensis & comparatus erat.

Eruditionem autem quam isto ingenio, seu & isti ingenio comparavit, hanc in ipso deprehendi. Humaniores quas vocant literas, ex Ludo reportavit mediocres. Num iis verò postea extolendis seriam navarit operam, non appetet: si quidem ut artis Grammaticæ generatim sic dicte, non nisi tenuiter & ad vulgarem modum peritus est; ita nec doctarum Linguarum scientiam asseditus, nisi qua mindrem gregalis quisque Theologus habere non debet. Hinc & accuratori judicio critico textum, seu Hebraicum, seu Græcum, seu & Latinum examinare & exactere, nequaquam ipsius negotium est.

Artes alias liberales, nominatim bene differendi, & bene dicendi quamdiu tractaverit nescio; hoc vero probe scio, eum quod ad utramque attinet, non parum infra mediocritatem jaceret. Ac si artem Logicam aut differendi vel ratiocinandi, reapse & omnium evidentissime manifestant eius usus hominis aut Sermones aut Scripta; in illa profecto Arte, nihil pollet Hulsius. Nam in omnibus, qualia cumque ex ipso seu audire seu legere mihi datum est, (datum est a utem non pauca,) non potui unquam percipere seu eneratim ullum pro scientia ratiocinium, seu speciatim ullam prolixiorum, compositorum,

rem, aut catenata quasi evidentia prosequendam ratiocinationem; ubi se laxum, distractum, & per velut decussatim implexas ideas dispersum non prodiderit, & plane confusum. Ac si quid judicare possum, etiam vel ad unam unicam talem exquisitam consequiarum connexionem de suo proferendam, nequaquam aptus factus est.

Artem bene dicendi, id est accurato, apposito, defecato, & ad castigatam Methodicen exacto sermone sua cogitata proponendi; hanc vero Artem nihil magis, si non & minus, intelligit, quam Dialecticen illam. Adeo ut mihi certum sit, eum ad ipsius Theologiae Disciplinam non alium apparatus attulisse, quam perfectoria, tumultuaria, & cruda illa Scholæ puerilis studia, dicam, aut strigosa rudimenta: Nam & in Philosophia palam est, ipsum similiter omnino nihil præstisset: teste vel ipso, ad suos contemtim dicere consueto; Hem! quid est Philosophia!

Non vero requisiverim ut omnes Philosophiae partes necessario studuerit Theologiae Professor. Attamen vix ac ne vix quidem negari potest, quin i. Naturæ cognitio studiumve *Physices* apprime ad ipsum spectet: imprimis ex gemina parte, generali altera, altera particulari. Sub generali intelligo, Universi Mundi systema: Cœli, Astrorum, Planetarum, naturam, situm, motus, & conversiones ostendens. unde & Naturæ intelligantur illæ vires hoc in nostro Orbe terraquo, nominatim per Meteororum

œconomiam exertæ ; & ex tempestatibus anni, ex virtute fetifera, ex soli feracitate ac ubertate, animantium pabulationes nostrique adeo nutritionem referante , ex mirisque tot aliis effectibus & phænomenis suspiciendæ.

Sub speciali parte Physiologiæ Theologo non iguoranda , eam intelligo quæ notitiam Hominis aperit : quæque , seu seorsim consideratam Corporis quam Animæ essentiam, indolem, & qualitates ; seu simul conjunctorum unionem, œconomiam , relationesque mutuas edocens ; subjectum proximum considerationis Ethicæ & Theologicæ necessario agnoscendum , ob oculos particulatim exponit. Atqui ex rebus omnibus quoque constat , Nostrum Theologiæ S. Doctorem , his extantis divinarum meditationum argumentis , nil degustasse quicquam ; nequidem , ut Proverbio loquar . quantum canis ex Nilo.

2. Metaphysicam autem scientiam , peculiare proprium , & quam maxime serium incumbere Theologo studium , quis nescit ? Nam ex Entis ἀπλωσι simpliciter considerati perceptione , mentem per summa rerum omnium qua patent & extant ac ab Uno se exsurgent culmina , meditando quasi circumducere ; ac eandem à res singulari qualibet per abstractarum notionum contiguos quasi gradus ad Unum , realitatem omnem simplicissime complexum evehere ; quid est aliud quam in illo omnem hominem illuminante lumine , mentem obvertere & cuperire Deo,

qua-

quaque nobis datum est, ipso Deo replere? Et
valde musteus ad Scripturam S. accedit, qui non
in ipsam manifeste transpicit inspiratam & di-
ctatam fuisse eo Spiritu, in quo & rerum vere
intellectuales ideæ uno complexu existunt; ut
qui eam dedit complexus hujus expressione
multiplici stantem sensum habere.

Utque quod nunc incidit addam, Quenad-
modum Cabbalam seu traditionem certam ex
Mose inter Judæos primitus acceptam vere fuisse,
non dubitare possunt docti; ita eam fuisse
præsertim Scientiam aut Sapientiam quam nos
Metaphysicen vocamus, rei momenta persuade-
rent; et si quæ supersunt reliquæ, claram ejus
fidem non facerent. Quid enim aliud sunt illi
Cabbalæ Realis sub Uno Eén sōph, Infinito, qua-
tuor Mundi Intellectuales; ut & ea pro Ema-
nationibus divinis, decem illarum Sephiroth Do-
ctrina; nisi illæ reliquæ, illa rudera prisæ in
populo Dei Metaphylices, quanquam hodie pro-
stribligine Judaico-Rabbinica, mirum in mo-
dum contaminatissimæ? Ut cumque vero sit;
ipsa rerum magistra docente, nemo non rudis i-
gnorat aut negat, Metaphysicam informationem
apprise cum utilem omni Theologo, tum
Theologiae publico Doctori insuper necessariam.
At qui & in illa noster Henr. Hulsius, ad stupor-
rem usque rudis est; fereque dixisse ad pro-
brum.

Porro nunc ut Historiam, ejusque binos oeu-
los

los Geographiam & Chronologiam non alle-
gem ; neque similia privatæ cuiusvis industriae
fere solita permitti ; in quibus etiam omnibus
certum est Nostrum non desudasse : Theologiana
ipsum , eamque Scripturariam ita præcise di-
ctam , fors est ut tanto melius tractaverit , pene-
traverit , ac in succum & sanguinem verterit !
Est namque unicum id studium quod in vita sua ,
hactenus , nisi fallor , fere quinquagenaria , agi-
tavit Hulsius ; ac de quo se tam immodice tumi-
dum jactat . Interim sicuti sui ipsorum maximi
jactatores esse solent ii , qui uniuersitate Scientia ,
perperam neglectis omnibus aliis studuerunt ; ita
probe norunt tamen vere Eruditi , vere excell-
lere posse neminem in una qualibet scientia , qui
non sub aliqua saltem Pan sophia idea , ejus in En-
cyclopædia cum aliis contextum apprehenderit .
is vero jam hoc ipso clarius longiusque animo
circumspicit , tum quantum est quod nescit , tum
quantum deest in eo quod scit ; sicque minus est
jactator . Adeoque nulla ex parte datur hactenus
animo præsumere quidpiam præstantius de Nostri
Theologia : ut cui necessarius ad eam apparatus
defuit ; quique propriam semidoctis sui jactan-
tiā crepet .

Studuit Theologiæ : negotiosam ei operam
dedit ; systemata præsertim Cocceiana , audiendō ,
repetendo , & Scripturam S. Germanice
præsertim lectitando . Dogmata Christiano-
Theologia , secundum Reformatorum quam
vocant

vocant Traditivam & Polemicam , pervolvit ;
eaque pro naturali ingenii captu , ejusque ingenii
privi cultu intellecta & collecta , memoriae fa-
tis tenaci mandavit . Quod novi ad Dogmatum
exegesit , & ad explicandæ Scripturæ Metho-
dum , Cocceii solertia non infeliciter quidem , at-
tamen ex parte licenter addidit ; id totum ad-
optavit , sibique assumpsit Hulsius . At privile-
gium simul arripuit sibique proprium quasi vin-
dicavit , licentius multo agendi quam Magister
fereque dixerim quidlibet audendi privilegium ;
nominatim in Propheticis , symbolicis aut hiero-
glyphicis Scripturæ S. pandectis . Est enim soli-
tum iis hominibus qui ea sunt qua Hulsius cor-
poris temperatura , & animi neglecta cultura ;
illud ὡδὴν ἀγαπῶν nequid nimis , quam minime cu-
rare , eique fere ἀπαρτῶν ἀγαπῶν omnia nimis , sub-
stituere .

Hæc autem talia sibi comparata Theologiæ
principia & documenta , vir mobiliter irrequie-
ti , & quasi tyrannice impetuosi spiritus , non
quiete , serio , rite , exquisite meditatus est ; non
digessit , non concoxit , non in certam , claram ,
distinctam , vereque systematicam concinnitatem
redegit ; nec exegit .

Atque inde factum est ut quod omnibus reli-
quis suis Scriptis tolerabilius edidit , Systema
Theologiæ scilicet , sub titulo *de Molimine , Ope-*
re , & Sabbatho Dei ; posset vel solum ea quæ di-
co mihi manifestare , quam visaliunde non disser-
nerem .

nem. Nam est utique in illo densa congeries Theologematum, eorumque ex parte, sincerorum, doctorum, bonique communis: sed quantum obiter legens satis observavi, dispositionis quidem, at non meditationis Hulsiæ sunt; præsertim meliora: & clare quisque videat, esse Eclogarii in morem, hinc inde compilata consuetaque. Concedo equidem parum referre generatim loquendo, undecumque demum res bonæ veniant, modo ut sint bona: at speciatim in Libro, eoque Theologiæ corpus, systematica concinnitate discendum, tradere destinato; nihil proclivius est, quam res bonas quæ ab ipso Scriptore non sunt, ita tradi, ut bonitate sua cassæ sunt, & desinant esse bona.

Nimirum, qui liber, Systema promittens, res plane diversas sine vinculo aggerit: qui plures sententias in rem eandem proponit, etiam discrepantes, nullæ reliquis prælata, aut tum nullis, tum & falsis rationibus prælata: qui discepantes, imo & ex adverso sibi repugnantes opiniones de re eadem æqualiter adducit, & conciliatione vel nulla, vel incongruente æqua-liter admittit adstruitque: qui verbis hic unum quodpiam afferit, & alia alibi ponit quæ cum ipso consistere non possunt, quæque ipsum plane subvertunt: qui, imo, salebrose & abrupte procedens, hic contente afferit, at illic diserte negat idem: qui difficultates aut objectiones imprudenter movet, ut quas vel dilutè nimis, vel

inepte

inepte & sophistice tantum, vel etiam nullo modo resolvit: qui altiora subinde tradens, eorum cum evidenteribus ex quibus deducebantur, nexus non simul tradit, nec ulla ad eorum cum sequentibus copulam porismata: uno verbo, qui mere est densa congeries & moles indigesta; is profecto Liber, ei qui exquisite perpendet, dicetur perperam, præter & contra destinationem suam restradere: & quidem ita ut quæ in eum convectatae sunt bonæ, bonitate sua cassæ sint, & eo loco, modo, usu quo positæ sunt, desinant esse bonæ. In summa est liber exigui plane momenti, ex quo ejus Author laudem seu præstantis ingenii, seu singularis Eruditionis, seu defecati ad res Theologicas judicii, sibi nequam vere arrogare potest, sed ex quo potius Lector non potest contrarium non inferre. Et quomodo feret eundem tamen, cum se Doctrina reliquis præcellentem venditare, tum reliquos ut prorsus aspernandos, ex alto despicientia suggesto rusticani approbamentis adobruere?

Atqui is est sine controversia, & palmarius Hulsi liber cui decennium circiter insudavit, & protervus ille ejusdem Hulsi fastus. Quos utrumque si ego Sed ingrenem inaudio, hominem tamen esse in Prophetarum vaticiniis & hieroglyphicis neutiquam vulgariter exercitatum; ac eo saltem nomine passim passimque laudari. Excipio itaque & breviter regero: Neq^{ue} mo lubentius ex vero quenquam laudarit ac ego;

neque

neque vel virtutis umbram quæ in Nostro sit, præteriisse velim. Sive autem quod Prophetarum grandiloquentia, & vel ex ipsa obscuritate venerando & suspicioendo sermone affectus fuerit ut alii multi, imprimis in juventa; sive etiam & simul quod eos interpretari, ac nominatim eventus multo post tempore prædictionibus respondentes ostendere in præteritis Evangelii factis, vel ipsa præcipue adhuc futura fata ex Prophetiis determinare & quasi articulatim designare, magnum revera quid sit, si vere; & magnum saltem quid sonet, si duntaxat quomodo cumque, etiam hariolando, id facere seu tentes seu te vendites: qualemcumque tandem horum, Hulsiū cum tot aliis permoverit ad fatidicas Scripturas, eumque studium Propheticum aliis omnibus præferre induxerit; in eo operose, nec enim nego, multa molitus est & tentavit.

Verum tamen vero, præter certos Locos communes, at passim in plurimas explicationum suarum pertrahendos, ac ubique ferme recursuros; huc usque neutiquam percipitur aliud quid præstisset, quam per Cocceji & sequacium Commentarios se volutasse, & analæcta quædam ex iis collegisse: nisi quod famosa regula, *Verba Scripturæ s. significant quidquid significare possunt*, licentius Magistris suis utens, identidem longius excurrit exerratque, & è Gigantum humeris conatur eminere Pygmæus. Ast & hoc profecto semper infeliori successu quam nullo. Res ipsæ

suppon

Mundo

Mundo palam quotquot prostant loquuntur.

Quis in illis *Vallibus Prophetarum* sacris legendo, ingenuæ lucis, veræ cognitionis aut Scientiæ, piæ delectationis, uno verbo, veræ frugis quicquam percipere aut lucrifecisse potuit? Lectorum, si qui fuerunt, conscientia respondeat! Mea quidem coram Deo respondet, me tale quicquam ex iis tam non percepisse, ut ex eodem luto fictum ejus *Lemuel* consciens, eum legere, pie tristis abhorrerem. Abunde mihi fuerat eas de *Vallibus Disputationes* lustrasse: quarum sin. gulam quis testari possit aliud esse quam farraginem quandam, in omnium artium, prudentiæ, scientiæ & pietatis ipsius ludibrium sic temere aggestam? Repeto; in ipsius quoque Pietatis, dum & ipsius Scripturæ S. ludibrium. Nam quid est pingues, vanas, frigidas, putidas, nulla vel rationis saha specie nixas conjecturas, sub Scripturæ nomine & Authoritate cauponari; si non Dei verbo ludere, & Dei verbum profanare est? Earum ego quidem nullam legi, (omnes autem utpote ventilandas legi,) quam non erratis, nævis, & lapsibus omnegenus æque confertim scatere viderim, ac formicosum riscum formicis; quæque proin stuporem non mihi incusserit, ingenuo, honesto, pioque dolori comitem.

Etenim quid aliud expectes ex tali, qualem hucusque videmus, Scriptore; ex tali, dico, qualem supra lustravimus, imperitia Scriptoris & inconsiderantia? Ex tam imperito, tam inconsiderato,

derato, unā voce dicata, ex tam destituto Propheta quid expectes, qui ut suis prophetamentis Iocum faciat, Theologiæ fundamenta subruit? ut quum in Vallium illarum una, tribuit ipsis Gentibus Evangelii exortibus, Blasphemiam in Spiritum S. ex sanæ protesto Theologiæ fœda ignorantia; qua in forsan adhuc esset, nisi dextere eum ejus hallucinationis per studiosos admoneri, & melius erudiri sategissim?

Quid expectes ex tam destituto vate, qui textum originalem non intelligit, ut ex una Vallium jam cursim tetegimus? Ex vate cui textum originalem Prophetarum præterire nequidem religio est: uti ex Vallium alia, ni fallor, ve ex suo Lemuele observandum, honesti quidam Sudiosi mihi referebant? Ibi commentans in vocem *silius*, quam ex ignorantia, ut credere est, pariter ac negligentia, supposuerat esse in Hebræo illana millies milliesque recurrentem *Bén*; prolixe, otiose, oscitanter multa Theologico-Mystico-Prophetica, elegantissima ex vocis etymo discussione critica edisserit: quæ vox tamen est in Authore sacro, originationis & potentiae prorsus diverla; nempe rarior illa *Bär*.

Ex Scriptore prophetante quid expectes; qui Regula supradicta sua sic utitur, ut secundum eam ita laxe sumptam, ex omnibus omnia omnes facere possint? Qui, ex. gr. ex omnium primo (si bene recordor) quem in Inanitate sua ab ipsa Præfatione textum Scripturæ adducit,

inci-

incipit hoc sensu prophetare : *Esa. 23: vers. 15,*
16. *Tyrus non sumitur ad literam ; Ergo potest*
significare Romanam ; Ergo revera significat Ro-
manam ; Ergo Romanam Christianam, Romanam Pa-
pae audientem ; Ergo ipsam Romano-Catholi-
cam Ecclesiam ; Ergo Romano-Catholicam Ec-
clesiam , tempore Reformationis & porro dein-
ceps considerandam ? Quam insolubilis nexo stan-
tes consequentiae ! Atqui ita venuste primum S.
Scripturæ locum tractans , suscipit alios pari ve-
nustate tractare : ac religiose spem tantæ veneris
impler.

Ast ego religiose abstinebo, memoriam meam
congestis ejusmodi sordibus ex ejus lectione q-
brutam , pro speciminiibus aliis sollicitare. Sed
& omnes Scripturarum prolationes , præsertim
Propheticae ipsi propriæ , tot sunt euldem accu-
rationis specimina : & ad primam Inanitatis aper-
turam , mi Lector , mirificam illam artem , ex
omnibus faciendi omnia , exemplo disces. Annon
ea tantillum laborem , librū aperiendi , mere-
bit ? vel si duntaxat plene scire velles , quam
eminenti prærogativa possit Hulsius gregales
Theologos ex alto despicienziæ suggesto convi-
ciis incessere?

Interea vero , Hulsi ! si tua Scripta illum ex
Prophetica peritia fastum tibi exprobrare non-
dum satis est : ut quid alia saltē rerum testimo-
nia te tandem non revincant ? Namque profecto
jam dudum est , quum illam Germaniæ Regio-
nem

nem, magna tuorum prophetamentorum habet latias : quorum etiam importunitatem sequutus est risus , quo te etiam , ut quidem credere est , ipsi pueri riserint ; sed quo , ut majus & certum quid est , te Viri , te Docti , te Theologi passim passimque exsibilant . Sed & jam aliquamdiu est quum risum exceptit crebra Theologorum indignatio & questus ; etiamque Ecclesiarum : ut pote quum palam innotuit , non tantum quod supra libavi de turpi ignoratione tuorum Auditorum ; sed quum palam notorium evasit , eos cum post plurimum annorum tempus in tuo Systemate tuisque Propheticis detritum , nihil doctiores fieri , quin potius hebetiores ; tum vero nihil ad Concionatorium munus instructiores .

Etenim tales omnino ex tua Schola recedunt , quorum ignorantiae & inapparationi suppleturus , iis Conclaves tuas Propheticas , secundum illam tuam Logicen & Oratoriam vernaculo idiomate vel à te consignatas vel ex Professoribus olim tuis exceptas impertis ; aut potius ubicunque audieris tinnimentum , ære redemptas vendis : quas tamen nec à se intellectas , & dubio procul ex parte nec à te , popello suo pro Conclione sacra propincent . Ac utique inde fit ut iis qui te solum habuere Doctorem , sensim sensimque pluribus promotis ; Regio tandem Präconibus impleatur ineptis : nisi si qui proprio ingenio & industria jaeturam sub te Doctore Propheta factam resarciant , improboque labore reditantur .

mant. Addam & inde fieri, ut si tui similiumpu-
blicorum Doctorum numerus augescat, quan-
tum quidem quod in te est augescere fatigis; bre-
vi mundum retrudas in priscam illam seculorum
ix, x, xi, xii, barbariem, atque tandem præ-
cipites. quam quidem barbariem, vere Docti
observant & gemunt, atras in Reipublicæ Lite-
rariæ Horizontem, magis ac magis contrahere
nubes.

Hæc eapropter saltem hic memoro, ut in te
ipsum descendens melius ipse te discas, & non
pergas imposterum tam effrenate erumpere in
despicationem & contumelias hominum supra
spuriam tuam eruditionem sapientum. Quasi
vero sit Asinus, qui tuas asininas ineptias nescit!
qui tuas asininas ineptias sciens, ridet ut asininas,
spernit ut profanas! Quasi vero alii etiam non le-
gerint, legant & versent Prophetas; aut nullo
ingenio valeant, nullam regulam adhibeant ad in-
telligendum Prophetas! Quasi vero eam quam
sequeris & Regulam, & temporum distributio-
nem in certas periodos, vel nusquam audiverint,
legerint, vel mente assequi non possint! Quasi
vero & illius regulæ, & illarum seu septem, seu
aliter computatarum & dispertitarum Periodo-
rum theoriam circumspectiorem & doctiorem
non habeant & usurpare non possint! Quasi vero
præter eas & Regulam & Periodos, pluria quam
tibi & præstantiora, tam à Natura quam ab Arte
& studiis adminicula, multis in promptu & nu-
mera-

merato non essent ! Quasi vero multis nota non esset certa veraque Ars , qua res omnes qualescumque , singulæ cunctis , cunctæ singulis , idque innumeris modis uno mentis actu in idea representatæ ; eam infinitam , etiam in Propheticis , conceptuum copiam pariant , ex qua talium selectus haberi potest , præ quibus illi tui , feces essent & pinguioris syncipitis crassamenta ! Quasi vero & mihi ipsi duntaxat gregario , (nam invitum multa loqui cogis ,) nonquam alluxisset sensus Prophetici vestigandi via , cuius , utut nihil acutius ex parte tantum reiectæ , monstratio generalior sola , foret imparitudo acuminis Steganographia quædam inaccessa prorsus & impenetrabilis !

Non possem jam reticere quod eventum hodie contigit , cui verus hic locus est . Is vir acris ut apparent animi , quem supra jam semel retuli , ad me post libri tui lectionem esse locutum ; menti meæ saepius observans tanquam mei & tui conscius , etiamnum hoc mane , sed nonnihil commotior , auribus meis insonuit , meque sic affatus est :

„ Illum Inanitatis authorem , Huguenine , te „ præter tot alias effrenes contumelias , etiam „ tam saepè vocare Afinum ! Omnimode te Afis „ , num bacchari & baubari , in eopse inani libro „ quo magis Afinum quid , tuo non potuit op „ poni ! Est quidem ubi convicium isthoc modi „ ficari videtur , dum subinde ad Theologiam „ veniste

„venuste restringit, vocans Aſinum ad Lyram ſan-
ctam, quia ſcīt, te ut à Poesi, ita & à Musica
vocali & Instrumentalino paucis eſſe notum:
„attamen putidula modificatio, vationem cul-
pa non eximit, qui alibi promiscue occaſione
quavis, ſimpliciter inclamat Aſinum; aſinum
hie, aſinum illic, ubique aſinum, ad omnia a-
ſinum. Ac certe quod præter & contra verum,
„pro ſua ruficani Scurræ facundia facit, id tibi
„pro veritate, & publicæ Honestatis ultione,
„pariter facere licet. Quin & quum te par pa-
riſiſ referente, duo facietis idem, non tamen
„erit idem: impudenter intorquere falſa aliud
„erit; aliud erit & manebit vera cordate retor-
„quere. Eum igitur inſignito talem, qualis
„ex vero eſt; & qualem iſ Inanis albarum char-
tarum perditio, ſe ipsum cum ſordida illa ſua
„Inanitate, in puras luminis auras protrudit.
„Qualem autem ſe ipsum protrudit? qualis ex
„eo ſectido caudice, Reipublicæ literariæ inno-
„tſcit? Quin medius fidius innotescit Antro-
„nius Aſinus, Cumanus Aſinus, Aſinus ad
„Lyram, Aſinus ad Lyram ſanctam, Aſinus ad
„tibiam, Aſinus ad omne Musicum instrumen-
„tum; Aſinustam ad omnem Musicam, quam
„Aſinus ad omnes Artes ingenuas, Aſinus ad
„omnem Philosophiam, Aſinus ad Linguas, ad
„veram Theologiam, ad ſolida Propheteumata,
„ad Lyram Propheticam, ad ipsamque ſuæ Ty-
„xi πολυθρύλλητον lyram; liricen, fidicen, fi-

, ticens, Tyricens Afinus. Imo, æcastor, Afis-,
 , nus ad stabulum, ad præsepe, ad clitellas, ad
 , sagma, ad molam, atque ædepol ad fustem &
 , verbera. Hæc audacter, aperte, & rotunde
 , ipsi dicens atque edifferens, æquum, bonum,
 , pium opus facies; æquis, bonis, piis omnibus
 , rerum arbitris gratissimum futurum; quando
 , ut chartas, ita Lectorum manus oculos, men-
 , tem, sordibus suis quantum in se est, polluit
 , & contaminat. Nil cunctator ipsi dicere quod
 , Docti idem tecum sentientes, ut apposite di-
 , cendum, ac à se ipsis alias dicendum fuisse agno-
 , scent! Ipso nempe palam tam insulse & tur-
 , piter Opponentem tuum se sistente, ferale e-
 , didisse spectaculum, haud valde dispar ei quod
 , narrat Ann. Marcellinus Lib. xxvii, § 2. prope
 , horam nempe diei tertiam, spectantibus multis,
 , Afinum, tribunal ascenso, visum, auditum fuis-
 , se destinatus rudentem: stupefactis omnibus qui
 , erant, quique didicerant referentibus aliis:
 , nulloque conjectante futura. Hæc & talia in
 , Responso quod apparas, libere dicio, & ani-
 , mose edifferito!

Hæc cordatus ille vir. Sed moderior ero
 quam quidem ille talia mihi suggerens, hodie
 matutinis horis erat. Accerte illa non edifferam
 ego, quem fere jam pigeret, ejus hortamen
 ita ad verbum retulisse. Tale quid enim, du-
 rum nonnihil & tetricum sonat, quod in lenio-
 rem & sereniorem indolem meam non convenit.

Quia

Quin potius, mi Opponens, Propheticæ eruditio-
nis suppelæctili imprimis gloriare ! Facia-
mus quod ingenuos Lectores , nobis attentiores
fortasse reddet ; modo ut tu pariter atque ego ,
omni bilis commotione sedata , serio , cordate ,
utrinque agamus ! De Prophetem at tuis certo
pignore deposito certemus ! Sed ut , quod in om-
ni sponsione fieri patet , sine ambiguitate pro-
cedamus ; per Prophetamenta tua , ego non intel-
lexi haec tenus , neque nunc intelligo omnia quæ-
cumque ex commentatoribus Prophetarum
adoptasti ; quæ partim bona , at vere tua non
sunt , utpote in eorum scriptis obvia : Sed intel-
ligo , 1. Ea quæ ex iis Commentatoribus tibi
promiscue adoptata , non approbanda tamen e-
rant , nedum adoptanda ; utpote partem non exi-
guam vana temerariaque . 2. Intelligo & potis-
sum illa quæ tu de tuo , aliorum interpretatio-
nibus addis ; seu quæ tu , eorum methodo & i-
mitatione nixus , propriomarte in varia Scriptu-
ræ Propheticæ , Symbolicæ & Parabolicæ loca ,
commentatus es & commentaris . Ista sunt quæ
rite intellexi , intelligo , dixi , dicoque Tua .

Jam ! dum quo de pignore sis converturus
ruminaberis ; Ecce ! Sponsionem ego facio , me
Methodo , principiis , regulisque tuis utentem ;
& illas non laxius , non licentius aut minus pro-
vide quam tu facis , adhibentem ; clare demon-
straturum esse , quod , ex: gr: M. Accius Plau-
tus sit Propheta. ac id quidem tibi demonstrabo

in ejus Aſinaria. Si enim problematis affirmatio-
nem oſtenſurus, ante omnia Dramatis Aſina-
riæ perſonas examinavero; earum puta Nomina
Etymologicæ, præfertim ubi Græca ſunt, diſcu-
tiens, earumque numerum, ſubtiliter, argute,
ſecundum mihi quæſitas quasdam temporis pe-
riodos diſtribuens; ac deinde totum Drama bene
lectum & repetitum, iollicite ad eam pro licen-
tia tua ſumptam regulam exegero, quæ ſonat,
Significant quod significare poſſunt verba, ſcilicet
metaphorice etiam, allegorice & myſtice ſumpta:
hiſ paucis mihi præcautis, planiſſime conſi-
ciam, ut M. Accius Plautus inde à bis mille cir-
citer uſque annis, totum vitæ tuæ contextum,
præteritæ, præſentis, & futuræ prophetarit;
atque adeo fit Propheta, Q E D. Ac id quidem
æquis non modo litis noſtræ arbitris palmarum
mihi tradituris; ſed & te ipſo, ſi placide attendes,
tum rem factam agnituro, tum forſan & admiratu-
ro, mihi que deinceps foli, amata Phyllida
conceſſuro.

Et tu ſolus eſſe cui ſit permiflum Theologos
gregarios, honestos tamen nec indoctos viros,
Aſinos ad Lyram ſanctam vocare? At crede mihi,
Magiſter Henrike! gens Doctorum deinceps
multo magis quam antehac eſt te ſuſpectura; &
quanto polleas in rebus Theologicis judicio, de-
miratura. Nec alium, magnam partem, te con-
ſiderabunt, quam quailem in præfatione meæ
Veritatis Catholicae, ſictum virum conſidera-
rent,

rent, qui ad nos ex Luna recens venisset: prorsus ignarum, nempe, Reipublicæ ejus Literariæ, quæ est hoc in Orbe nostro; quæque utut plebi semidoctisque prorsus invisibilis, defecatissimo tamen examinis critici judicio, suum omnibus factibus ingenii & eruditioñis pretium, nominatimque Libris ponit. Tantummodo vereor, ne etiam illum Orbis Lunaris indigenam tibi prælatum irent; ut qui saltem se noscens ipsum, prudenter & serio quid nos agitaremus & saperemus Terrigenæ, discere laborabat.

Ad Te, mi Lector! conversus; peto ut non obliviscaris me ad Dei Sapientiæ monitum & mandatum, satagere substringi quæcumque hic, utut subinde plusculum aculeata, scribo. Et si quidem Illa me mandet respondere stolido secundum Stultitiam suam, qua manifestum Doctrinæ defectum voluit supplere contumeliis; non potui ad compromissum de quantulacumque eruditione mea non consentire & descendere. Quod ut mihi molestum futurum præsensi, ita quoque recordari dignaberis, me veniam præoccupasse eorum quæ speciem propriæ laudis & immodestiaæ habitura, coactius hic dicturus eram. Igitur id quod ex animo abominor, id pro æquitate tua mihi non imputabis: neque numero hominum, virtutes suas jactare ubique pruriens me accensebis; qui tantummodo natiui utcumque nonnullis, Aretalogus quispiam videri, quam Stultitiam triumphantem, & Veritatem inultam

inultam permittere. Ast anno & quanto magis
ineffabili gradu S. Paulus me homunculo doctior
& sanctior erat , tanto mihi pronior erit ad e-
jus exemplum excusatio ex 2. Cor. XII. vers. 11?
Isthuc autem ut ad præcedentia , ita &c , si qua fors-
dabit , ad futura intendo memorari ; dum ad ea
quæ supersunt transeo.

C A P U T X.

*Manifestam Candoris defectum supplere vult
Calumniis.*

Quem Opponentem Libro meo sum natus ;
non Doctissimum & Candidissimum , qualem
ex animo , verbisque conceptissimis desiderave-
ram ; sed Ineptissimum & Fallacissimum , qua-
lem supra Capitibus III, IV, & V. vidimus : eun-
dem etiam Capitibus prægressis VI, VII, VIII &
IX vidimus , Ineptias manifestaque ignoratio-
nem illam suam supplere voluisse Contumeliis ;
aspergendo in Cacabi sui minutal , Salgama.
sequitur ipsum jam attendamus , veterotorias
fraudes suas supplere nitentem Calumniis ; sive
illi Minutali suo addere Garum. Quo ipso pre-
mentes animi Hulsi vestigia per Inanitatem
illam impressa ; sensim ac velutiper gradus , a-
scendimus ad apertum insubidae ejus intemperie
spectaculum. Cumque haec tenus intemperiem
illam ,

illam, eosque, instigante Sapientia, simus pro-
secuti, ut eum hominem fatuante stultitia exag-
tari sit in propatulo; jocosahic nobis sub idea ve-
nire potest, qua veniret nou incelebris ille Fatuus,
Achæus agnomine *Callicon*; qui in strato suo ca-
piti supponebat pro cervicali, vas testaceum, fi-
deliam, urceumve: quem cum sentiret & acu-
tiissime judicaret, præ duritie minus accommo-
dum, sapiens consilium inibat; fistileque cer-
viçal suum, mollius habere satagens, stramine,
paleis, quisquiliisque implebat, etiamque con-
ferciebat.

- Ignorantiæ suæ stratum Noster providissime
supplevit Contumeliis pulvinari inquam suo fi-
gulino: jamque Contumeliis addens etiam Ca-
lumnias; illipulvinari sive urceo suo mollius in
utramque aurem indormitaturus, indit paleas,
quisquilias, atque pol graphicas sordes, ne qua
decesset factor.

Ejus autem sunt Calumniæ plures; quas ta-
men possum, uti de contumeliis actum est, ad
sex præterpropter capitare digere; ut ex quibus
ego 1. Oneri fuerim Ecclesiæ illi meæ, cuius
ante Pastor eram, quam Theologiæ Professor
publicus evaderem: 2. Dictam Ecclesiam ligu-
riendo depeculatus sim: 3. Litem quandam foren-
sem deseruerim: 4. Bolum pinguiorem nunc an-
helem: 5. Impurus & sordes sim; spectatissime
tamen 6. Famelicus, famelicus Apostata, Apo-
stata famelicus. Has autem si Calumnias in me
jaci-

jacularetur vir quispiam integrioris hactenus famæ , & non is vecors Sycophanta , qualem se nobis jam abunde retexit ; utique nec tempori nec chartis parcerem , quibus impurissimus innotesceret criminator & meritas poenas daret : & si quidem ista fere sunt personalia , uti vocant , & nonnisi oblique ad concertationem dilucidandam facientia ; insuperque jam satis dispensa sit Hulsi maledicentia ; idcirco breviter ea & paucis verbis absolvam . Itaque respondeo :

I. Ad primum. Si quempiam ab Ecclesia aliquam ne vel quidem cogitantem , ad Pastorale munus vocari ; & magno desiderio , eoque semper crescente , complecti : Si ab eadem , officio tam instituendi quam per inculpatæ vitæ exemplum præundi , defungentem ; singulari approbatione , laudum præconiis , & reverentia honorari : Sique etiam eundem alio transferendum , ab eadem Ecclesia omni molimine , zelifervore , varioque sumptu , quantum potest retineri : Si , inquam , haec omnia ex una parte ; & ex altera , Ipsi eidem Ecclesiæ fuisse oneri , sunt fortean unum & idem ; omnino de petulantæ Calumniate excusare potes . Atqui sunt tota linea diametro opposita & sibi contraria : Ergo profecto , Magister Henrice de siliquis ! tu es petulans Calumniator .

Addo : Si quis illud quod probe scit non esse verum , audacter per calumniam affingit , est petulantissimus Calumniator ; quomodo vocetur is ,

qui

qui quod assingit non tantum scit non esse verum, sed qui scit, contrarium, esse palam Mundo verissimum? Atqui non tantum sciebas non esse verum quod dicis; sed sciebas contrarium, esse palam Mundo verissimum. Ergo convenienter Virtuti tuæ quomodo vocari mereris?

Pergo: Qui ipse, quotquot probis hominibus, maximis, medioxumis, insimisque notus sit, est in Sparta sua publicum quod gemunt onus; praeter contra conscientiam veri alii id ipsum affricantur? Atqui Mag. Henrice! tu eum te prodidis perditum Sycophantam. Ergo satis convenienter Virtuti tuæ quomodo vocari mereris?

II. Ad secundum. Cujuspiam cœtus peculium, ne ad obolum quidem in privos usus suos unquam tetigisse: Modico gravium laborum salario contentum, sobrie vixisse: Ejus Salarii augmentum, eodem cœtu consulente petendum, petere noluisse: novos tandem quantoslibet sumpitus pro se retinendo, ab eodem cœtu fieri, dolenter vidisse: Ista inquam palam Mundo verissima notissimaque, & eum cœtum liguriendo depeculatum esse, quod tu dicis, sunt tota linea diametro sibi opposita & contraria. Ergo profecto, Magister Henrice! tu es Delator impudentissimus, impotentissimusque Quadruplator.

Addo: Qui publice & palam notus Æructor, ex inexplibili terrenarum secum aviditate pecu-

pecunias quales & quantascumque potest, arte qualibet veteratoria corraderet, totamente studet & laborat: quique idem ut insanae Avaritei, ita liguriendi & compotandi consuetudinis indomitæ mancipium est; audet tamen duplicitis ejusdem infamiae, viros frugi, sobrios & temperantes, præter & contra conscientiam insimulare; quomodo is Lavernio Popinoque ebriosus, poterit convenienter Virtuti suæ nominari?

III. Ad tertium. Si litem forensem ego in non neminem mortalium intulisse, & post aliquantum tempus, idem ego, vel ex solo animo à sequendis litibus naturaliter averso, litem deseruisse, imo & tacite certissimo juri meo renunciassem; quam indocte tamen & insubide pro more tuo, quam turpiter, inquam, ô Blateronum turpisssime! illud turpiter deserere blaterasses? Attamen si nemini litem ego movissem; si naturali meæ à litibus aversioni, graves admodum rationes accessissent; neque etiam certiori juri meo socorditer renunciassem; imo istud aut illud ex non socordi conscientia protestatus essem; si talia inquam mea ita se habuissent, ac ita se habere, tu ipsemet non nescivisses; quanto turpius adhuc, ô blateronum turpisssime! illud turpiter deserere blaterasses? Quanto proinde ægrius posses convenienti ad Virtutem tuam nomine nominari; vel & quadruplatorum inventari classis qua in ad merita tua convenienter inseri posses? Ego quidem nullam meditando possum

sum assequi , nisi talem in qua tu , & ex sequiori sexu detestabilissima bipes , singulari & exquisitissima animorum , virtutum , & morum parilitate ; eximie super vulgus splendoris in Mundo . Quam puchre autem vos ambo cerneremini inter cetera , non lites ulla deserere , sed antiquas ex ingenito rixandi cacoethe sequi & prosequi ; novas quasi certatim suscitare , conflare , movere , inferre , & tanquam publicæ quietis juratissimi perturbatores , fatuitate furiosa concertari !

Reliquis omnibus ad istud calumniarum tuarum tertium caput reponi proclivissimis , sciens volens supersedeo : ut qui quanto sincerius quam tu Proceres & Principes veneror , tanto cordatus agnosco , eos falsis impudentibusque criminationibus , quales hæc tuæ sunt , posse circumveniri , ac pessime in rebus informari . ac id quidem tanto facilius , quanto nobis altiores sunt ; etiamque à nobis majori terrarum interjectu fuerint remotiores . Et frustra modestiæ meæ hic quoque nequissimas insidias collocans , sperabas futurum ut ad tuæ qua futilatis exemplum , qua scurrilitatis delectamentum , multa & sonicae futirem .

IV. Ad quartum ; quo me eum velles tradi qui nunc pinguem bolum quendam , aut quomodocumque voces , terreni Pluti auram , expectem preensemque ; respondeo : Ah ! Henrice Siliqua ! quam omni invita & reprobante Mi-

nerva , tota tua procedit Inanitas ! Quam & hac in parte , vel perperam adhuc me noris , vel stolide persuadere velles me divitiis int̄ihare ! Quam præpropere putasti Catholicos Viros quibus sum notior , nondum jam agnovisse verum , quod in evulgato meo ad Amicum responso memorabam publicum de me judicium ; Id Huguenino potest unum exprobrari ; nimium bonus est ; nimium facilis credere , fidere , amare , donare ; & quæ plura ibi de ἀνταρχέα mea ingenue repetebam ! Quanta recordia putasti me tibi excordi tergæ filio similem ; cujus omnes ipsi Professorii labores , vilissime æra captant : ut quibus imprimis anhelas , novorum simpliciumque juvēnum emēcari & exhaustire loculos ; utcumque licet de cætero futurus in Academia , Studiorum Morumque vera pestis .

V. Quod in quinto Calumniarum tuarum Capite me voces impurum & sordes ; ego pol quidem , qui ex ulla Impuritatis & Sordium clāritudine , nomen in Mundo adeptus sum nullum , prorsus non discerno quid blatire velis . Attamen ut id sordium & squalloris genus præteream , quod tu panticibus laxis , totaque tua corporis specie , totaque re familiari , spectantibus offundis & spiras ; non pariter præterire possum , te dubio procul ex more tuo , mihi hic etiam eas quibus inclytus cluis sordes , adspergere voluisse . Utut enim sciveris aut nesciveris , quid præter jam notatum sensum , Sordes in hominis ipsius

ipsius nomenclatione designent; certum est *Sordidum* ipsi Ciceroni designare, & Avarum, & Inhonestum: adeo ut quemadmodum Avaritia est radix malorum omnium quantum ad mores, ita eadem sit omnium vitiorum in corde Honestatis vacuo pullulantum, fædissimum & ferale gerumen.

Sicut itaque regnans Theolatria aut Dei cultus, est & active & passive centralis expressio probæ mentis & Sanctæ: ita quoque regnans Avarities, quæ, repetente Paulo, est Idololatria; hoc ipso est pravæ perditæque mentis, tam active quam passive centralis expressio. Quam certe autem Avaritia in te plane regnet, potest quidem ex plusculis ante dictis non obscure intellegi: attamen importunus me cogis id amplius ex ipso libro tuo manifestare. Igitur si regnans Avaritiæ sorditudo in eo est, qui quantacumque, etiam sancta, Idolo illi suo aut Mammonæ seu conservando seu adaugendo turpiter sacrificat; profecto tu, Magister Henr. de filiis, fereque dixerim de sordibus; ex corum es numero: ut qui unice quæsitis corrasisque ex Academica Sparta nummis nondum contentus; ipsa tota quantum potes Ecclesia & Religione Reformata, Baalzaphoni tuo litare non segniter occuparis.

Quid enim à te sic notissimo sonare potest quod bis, &c., nisi fallor, pluries per Inanitatem tuam, Protestantium Principibus affectu tanto

repræsentas? quodque ex quo tempore te vidi,
irrequieta mente volutas & magna pietate moli-
ris? Te consulere, instare, urgere, ut quotquot
Viri Muniis Politicis præfecti fuerint, Proceres,
Satapræ, Prætores, Magistratus; omnes in-
quam illi, Ecclesiasticas & Pastorales functiones
obeant: adeoque ut, ad minimum, Theologiae
ex professo studeant omnes, eamque cursus Aca-
demici ritu solide addiscant! Te inquam istud
ita consulere, instare, urgere; Quid id de te ju-
dicandum illico & quasi sponte præbet aliud,
quam idem quod certo produnt quæcumque
moloris; nempe te captare & inhiare lucrum?
Lucrum autem hac occasione tam indubitate
magnum, quam jucunde animo jam præcipis,
illinc pingue quoddam conferendum tibi moli-
tori Munus politicum: hinc vero copiosum lau-
tumque Minerval, quod tibi pendent, seu ipsi
Magnates, Proceresque numerosi, Lectiones &
Collegia tua frequentaturi; seu eorum frequen-
tissima Proles, quos amœnissimo jam tum spe-
ctaculo prævides cum ad te catervatim confluere
Sapientiam tuam audituri, tum vero præfertim,
nummos suos tibi numeraturi.

Hei quara tibidolendum est, tam lucrosam
Reformationis Reformationem tamdiu differri!
ex qua tam jugiter, negotiose, & concinne à te
meditata, tam bellos, tam multos, tam argute
tinnulos Daleros in saccum tuum bene & probe
reconderes! Et miror ego illos sub Rege Borus-

si Consiliarios & Ministros Status utriusque; vel non satis acutos, qui non statim approbarint Ecclesiæ & Politiae regimen ad mentem tuam reformari; vel etiam nimis nasutos & lividos, qui obejus zeli tui causam malignius subolfaciam, eum innocentem questum tibi quasi unanimes hactenus inviderint: vel & quoque nimis suspiciosos, qui metuerint, & adhuc forte metuant ne viri Theologiam docti qualis tu & tu similes, vellent commodi privati sui sordes tam effictim querere, ut utrumque Statum conturbarent ac sensim sensimque pessum darent.

Quasi vero tam fœdæ sordes in te tuique similes magnos, sanctos, Apostolicos Theologos cadere possent! Sed spes nondum decollavit: tantummodo insta, & contra audentior ito!

Etenim sane vero, etiam aliunde spes tanto major affulget: ac Ipsum quoque **Sanctissimum Patrem CLEMENTEM XI.** magnifice eruditum Pontificem mirabor, si postquam forte tuam Inanitatem viderit, non ipse miraturus erit, extemploque dicturus; Papæ! quanta vis in hoc homine judicis Theologici resulget! quantum Antiquum sapere ad salutem! Quanto compendio Concilium Oecumenicum Heros iste nobis redimet; tam accurate, tam exquisite, tam concinne secundum antiquam Institutionem primitivamque Disciplinam, Ecclesiam reformatam paratus! Mirabitur scio. Et quis scit num non tuum illud tam sapiens consilium, tuam illam

tam luculentam delineationem rō Antiquum sa-
piendi, brevi sit lautissimo quodam congiario re-
muneraturus ? Saltem quis non clare cerneret ex
tua Inanitate, te vel duntaxat à tam docta, tam
morata, tam moderata, verbo ! tam à cunctis
fordibus expurgata anima, dignissimum esse am-
plissimis Mundi Christiani donativis ? Non om-
nes homines fordes sunt : cur dubitanter ergo
sperares ? Tantummodo forsitan obstat, quod
multi Sapientes, illud cæteroqui callidissimum
Ecclesiæ reformandæ Systema sint fastidituri, vel
ex sola opinionē quod à te fuerit excogitatum.
at illo casu ego sancte protestabor me id ab aliis
ante proponi audivisse, quam vel te vidisse,
vel quid tuum audivisse unquam. Et sic res
manebit salva. Confide ! Te ! Te ! An quid Te
sperare vetet ?

VI. Ad sextum tandem quo tibi vocor Fameli-
cus, famelicus Apostata, & præsertim inter-
calaria repetitione, Apostata famelicus ; non nihil
repono.

i. Et primo quidem quod ad *Famelicus*, sta-
tim cogitare subit quam oculatus sis polyprag-
mon, & alienarum rerum inspecto; qui tam
accurate ipsum penus & forte stomachum meum
exploraveris, ut scias me esurire ! Sed attentius
adhuc cogitare subit, quid hoc scommate tam sæ-
pe in convicci vicem repetito, me inhonestare
putes ? Atqui Egestas nonquam, nusquam fuit
aut erit vitium : quin imo contra. Nam uti sem-

per

per Virtutem Invidia sequitur tanquam pedis-
qua, unde proverbium, *Invidia Virtutis comes:*
ita tam sæpe Virtus prodit etiam cum Pauper-
tate tanquam ipsi propinquiore, ut aliud hoc ab
ævo stererit inter ipsas Gentes Proverbium, *Bo-
na mentis soror Egestas.*

Neque adeo vel Ethnici inter se, impro-
rabant egenis Paupertatem: neque etiam Christianis.
Actibi facile non occurret qui ex Sa-
pientibus seculi contra ipsos scribens, ipsis inde-
honestamentum objectarit penuriam, qua ta-
men sæpius etiam summa squallebant. Ut non
Judæis, qui suos habebant *Ebjonim* religione
Pauperes, ita nec Paganis in mentem venit ex-
probrare Apostolis vel & Christo tanquam vitæ
maculam, quod essent egeni ac sæpe famelici.
Contra: faciles erant indigentiam patienter to-
leratam, ipsis in Sanctitatis argumentum verte-
re. Annon imo Apostoli, Christus ipse, etiam
Inopie nomine, sanctam Vocationem suam com-
mendare amabant; Et annon inopiam tanquam
insignia quædam, Christianam religionem pro-
fessos per ætates Mundi claratura prædicabant?
Annon & Christus quantumvis Cœlos supergres-
sus, inter nos in terram remansit, est, esse vult &
erit semper sub conditione Pauperis atque Fame-
lici? Annon inopes in Ecclesia pii, sunt ipsa
Christi membra; imo sunt Christus ipse, cuius
locupletes quotquot vivunt, sint ex officio obso-
natores? Ac profecto paupertatis hujus suæ tam

non pudet Christum in dextera Majestatis sedenterem , ut tum etiam quum in Gloria Regis Regum Judex ultimo die sedebit , magnum sui sit memoraturus & laudatus Encomium , Egestatem ; cuius & primum , primarium axioma diserte recensem Famen : Esurivi , dicet , famelicus fui , & dedisti mihi quo vescerer . Esurivi , famelicus fui , & non dedistis mihi quo vescerer . Matt. xxv: vers. 35. & 45.

Certe verus Christolatra , de pia fame , vel sua hilariter gloriatur ; vel aliena , honorificentissi me sentit : ut qui veros honores & merita , constituit in eo quod Christi est . Ast è diverso , verus Idololatra ac Geolatra est , qui veros honores & merita constituens in eo quod est Mundi , & soli questum facienti benedicens Psal. x vers. 3. piam famem incessit & inhonestat , nedum amat consolari . Ego autem si in conscientia Pietatis & Honestatis , esuritione premerer ad ipsam usque necem ; nihilo minoris , quin imo multo majoris sortem meam aestimarem ; & ea via , Pietati ac Honestati Martyr obire , pie & honeste gloriarer : nihil prorsus invidens mundanis Scatolatis .

Attamen vero necdum hactenus mihi datum est esse tam beato : nequedum apparet eam mihi sortem impendere præstolandam . Ac ut usque huc nondum esurivi , habuique semper quantum pro consueti victus mei frugalitate satis esset , nil magis unquam famelicus quam tu ; ita tantundem

dem me potro etiam habiturum, signa quidem extant multa: sed de eo non sum sollicitus.

Et quidem ut ea parte de futuro sollicitus non essem, me jussit ipse Christus; tam quæstionem cibi qui non perit, commendans, quam memorans Patrem cœlestem, qui passeret ipsos provide nutrit & agri lilia. Ipse quoque ut ea parte de futuro sollicitus non essem, Augusto ore Suo me jubere dignatus est *Inclitiſſimus ille JO-*
HANNES GULIELMUS ELEC-
TOR PALATINUS, Dominus meus
Clementiſſimus; Qui hei quam raro Munificen-
tia in omnes bonas Artes exemplo natus, etiam
non dignatus est hominem me prouunciare non
alpernandum; imo & gratioſiſſima Generoſita-
te nonnihil sub *meriti* nomine pa' am loqui, quod
ut suavissime memori ac profundissime venerabū-
do corde non exciderit unquam; in hanc tamen
chartam referre, prohibet modestia. Cumque
Sapientiſſimi, Heroicique plane pectoris Prin-
ceps, in Gloriosiſſimam Suam Clientelam pu-
blice me ſuscepereit; Suisque Professoribus ad-
ſcripſerit Favore tam honorifico, ut statim rei
fama latas pervadens adoras, te non ferire non
potuerit; utique non possum aſsequi quo *Fame-*
lici vituperio ne lacesſendum putes.

Utcumque sit tamen; occenta ut voles,
quando ita delectaris! Clama, increpita me *Fa-*
melicum! Augura, præcine me brevi, eſurigine
tabifica conſectum iri! Non tamen veſeſurivi,

vel me esuritum appareat : nisi si per Esuritatem , Sobrium forsitan intelligis & parvo contentum. At si cum Esuritione , ipsam Sobrietatem ignominiosam esse judices , quasi qui paucis & sobrie vivit , non haberet quod satis est ; sed is demum qui gulosi infarctis praeter naturae modum cibis impletur ; vel etiam is fortasse tantum , qui acervatim plenas penus & horrea congesta possidet : profecto defecatae tuae menti congruens fers judicium. Atqui tamen si in Vervecum patria , etiam porci loquerentur , omnes intemperantiam se tantam sentire , uno ore negarent. Et verum crede si potes , ô Siliqua ! Neminem cordatum vidi qui non vel ex solo Inanitatis tuae titulo , & Librum , & Authorem vultuoso ac indignanti contemtu executi sint ; ac nominatin ex lectione ejus quo me ibi beas epitheto , Famelici. Nec enim sane poteras sordidissimæ prolis , Inanitatis puta tuae faciem meretriciam , electiori aut magis conveniente gemma ornare , ex qua de ejus castitate posset ferri judicium.

Ast huc tamen evagatus , unum permittar addere ! idque supponendo , Divitias suum homini cuique quanti valet facere verum pretium. Dico autem , ô noster Æstimator qui me hic tantisper tecum delirare cogis ! Tu non adeo locuples es ut me tantoper despiceris. Nam quantis tu facultatibus gloriere , iis incredibili diligentia incubans ; tantas ut minimum non una tantum vice neglexi , et simili præsentarias. Nempe quod u-

nice

nice mentem tuam occupat , id ego mente mea
rebus præstantioribus operata præterii. Nec e-
jus ita me pœnitet , ut conditionem vitæ , pau-
cis in tranquillo contentæ , commutare laborem:
utpote qui ejus commutationis occasionem à bre-
vi inde tempore talem vidi , talen̄i præterii afful-
gentem , ridentem ; in quali non minores tuis o-
pes honeste comparasse , & fortasse iis quas vel
habes vel habebis unquam , multo spectabiliores.
Manet quod in Epistola ad Amicum scripsi : Di-
vitias quæsivi nunquam , nec magis bodie queri.

Sed quid hac evagatione pensum fere obli-
scor ? Quid sensim eo descendit ut respondeam
stolido non satis secundum stultitiam suam ? ut-
pote qua response esse possit sapiens in oculis
suis , & in terræ sordibus summum Bonum sta-
tuere ?

Ergo exquisitus secundum stultitiam tuam
ut par est , tibi respondens , dico : Nihil plane
quicquam in me Fames habet ; qui modico quod
adest contentus , famem elimino ; qui que nec ul-
lam famem formido . Ast tu ipse , è contrario ;
vere Famis imperio subes , ac ejus es Mancipium:
ac id quidem mancipatione duplici . Nam ,

i. Famelicus vere es & esuritionis mancipi-
um tu ipse ; qui depastus quantum viro sobrio
sufficeret , adhuc esuris ; ac fame nihilominus
per stomachi & abdominalis lata spatia sæviente ,
cogeris adhuc tantundem ut mininum addere. Imo
neque tum famæ te deserit : ut qui plenus qui-
dem

dem probeque suburratus ex triclinio tandem aut cœnaculo recedis , sed non pariter ex te fames , pleno , sed non satiato ; imo pol & plura vorare parato , si per prægressam farturam liceret , & si sequuturi pastus avida spes non jam esset solatio .

2. Famelicus vere es & esuritionis stabulum , aut quod verius dixi , Mancipium : utpote qui famem ita verniliter reformidas , ut ad ejus imperium tuos omnes & corporis & animi labores componas ; omnes inquam cogitationes , desideria , molimina . Non enim temere mihi jam in te notata est Argenti & Auri sacra , aut clariss , exsecranda illa fames , quæ mortale , terrestre id tuum pectus in irritamenta malorum , quantacumque per devia & avia cogit , versat , truditque . Et is cujus arca quantumvis multas flagellaret opes , plures tamen avet , anhelat , ac eas immensas , cuncta vel bona Midæ impotentissime esurit & sitit ; annon is regnante per viscera ardore habendi quod semper Deo suo Ventrif sacrificet , egenusest ? & tanquam hydropediro ac Bulimia cruciabiliter domitus , vere mancipatus fami , vere Esurio atque Famelicus est ? Res non nisi generatim rango : at & quia Famelicus ut plurimuni à te additur Apostatae cujus sit dunataxat epithetum , jam ab ipsa Inanitatis Rubrica : hanc etiam à te laudem mēam expendere , præcipuum superest hoc in ultimo Calumniarum tuarum capite .

2. Apo-

2. *Apostata* qui inflatius adhuc tibi vocor, eosque intelligo quem ea vox usum habet, ut eam mecum repetere non te pigere debeat. Tritissimum vulgo nomen 'Αποσάτης *Apostata*, derivatur, uti notum est, ab ἀφίσαντες *Abscedere*, seu sit *Abscessio* à bono, seu à malo; uti constat ex variis Novi Testamenti locis: ita ut *Apostata*, sit proprie *Defector*, aut clarior, *Desertor*, seu mali, seu boni. Qui ergo quempiam vocat nomine *Apostata*, quod αὐτολέξει in N. Testamento non occurrit; eatenus quidem eum non afficit injuria.

Attamen verba, nomina valent usu: ac eveniebat medio circiter quarti seculi, ut Constantini Magni ex fratre nepos, *Iulianus*, à Constantio Imperii collega renunciatus, ac post ejus obitum, Cæsaris & Augusti majestatem solus adeptus; fieret tandem apertus Fidei Christianæ *desertor*, edito contra ipsam libro; quam & vaframentis omne genus, technis, Edictis, & diris Persecutionibus ex homium memoria æternum delere satagebat. Hac igitur ex causa, Christiani eum infensum infestissimumque hostem suum, singulari quodam vocabulo designandum, vocabant nomine quanto potuerant lenissimo, τὸν 'Αποσάτην, *Desertorem*; vel & non minus frequenti, quin hodieque apud Græcos frequentiori τὸν Παρασάτην, q. d. *Transitorum*. Qua occasione siebat ut vox, quæ ceteroquin notationis sere ambigua & indifferentis erat;

erat ; brevi , ex hac ipsa applicatione nonnisi male sonare inciperet , & sensim in feralem eum sensum tota degeneraret , quo postea solenniter per Apostolam designatus est , qui *Fidei Christianae Desertor ad Ethnicismi Iodololatriam aperte deficit.*

Ac eapropter multo pejus quid ab inde temporis denotare coepit , quam vel *Hæreticus* vel *Schismaticus* ; qui uterque Evangelii fidem qualemcumque retinentes , nequaquam desertione tenus pares habendi sunt iis , qui ad ipsum Paganismum , sive & Muhammedismum penitus defecerunt . Ac hi soli Apostatarum nomine , ita apud Catholicos veniunt , ut aliis non dari videoas ; nisi vulgo etiam iis Monachis qui suis renunciantes votis , ad aliquam hæresin transiverint . Nihilo tamen minus , Inanilogo nostro semper cum inaniarum fumis flamas quot potest vomenti , bella satis est visa vox , & suo illo catapultario , ac vere Andabatario stylo perapposita ; quando poteram illa ut infamis traduci . Ast mehercle hoc ipso , tua apud omnes cordatos majori cum infamia : quippe qui sic ubique baubando , ubique & hic prodisti tuam qua plebejam garrulitatem , qua procacem maledicentiam .

Plebejae garrulitatis est , eo usurpare verba sensu quem Doctorum & cordatorum peritia ac usus reprobat . qua tamen affectatione forsitan prodare voluisti , te equidem insigniter supra vulgus fatuari ; sed supra vulgus sapere , quantum la-

pis

pis aut occisa sus ; velut tummum , quantum
futor ultra crepidam . & hæctua sinceritas non
posset satis laudari .

Verum vero procax Maledicentia est . Nam
ut quid tu pugnæ frigidam affundis , aut oleum
igni ; sic aperte , sic temerarie calumniosas nugas
ferendo , quasi non Fide Christiana sed Ethnicis-
mo constet Catholica Religio ? quasi commu-
nionem Protestantium cum antiqua Catholica
commutare , sit Evangelio Christi nuncium re-
mittere , & perinde ac ad Muhammedem , aut
ad ipsa Gentium Idola deficere ? Sed hæc incon-
siderantia est clamosæ , impudentis , temerariæ
que plebis ; cum qua tu tantus Doctor adeo sub-
limiter sapi , ut hic te jam primum miraremur ,
nisi in hactenus dictiste tam multiplici specimine ,
planiissime stultum demonstrasses .

Ut tamen illo maxime odioso sensu vocis A-
postata , à te male fano blaterone vocari , solido
honorí duco ; ita quoque vera ejusdem vocis
notatione , Apostatam & Desertorem tui , tibi-
que similiūm , ipsum ego me libenter & pie
profiteor . Nec enim quis sperare potest beato
cœlestium adscribi & transscribi consortio , qui
non allaborarit S. Paulo obsecundari , jubenti ,
ex. gr. Discipulum suum ἀποσταθαι , apostasthai ,
(barb. apostatare ,) Apostatam , defectorem fie-
ri , abscedere inquam ab hominibus mente corruptis ,
privatis veritate , & quæstui habentibus pietatem .
Textum vide , qui integer districte te tangit in-
tegrum I. Tim. VI, v. 3. - - - 10. Quid

Quid enim ? ex eisdem Verbi eadem Forma , eodem Modo & eodem Tempore quo vox indifferens Apostata derivatur , derivatur & vox ^{Απόσημα} Apostema , Abscessus ; quam ut nihil nisi secundum quid & inficiens significantem , in te apprime quadrare , nemo ex iam dictis non videt . Ac si multo pluribus ejusmodi hominibus tibi similibus , putridis , tabificis . & pestilentibus Apostematis , ulcerosum esset corpus tuæ Communionis ; demirarer sane , potuisse hactenus non paucos illos cæteroqui probos cordatos que Viros , ejus nondum Apostatas & Desertoresesse . Nam ut morbi illius Corporis exiguum quoddam extes & purulente turgescas Apostema ; Christianarum virtutum te Apostamat & Defectorem in opposita illa vitia præstas & præbes , quæ cum certe mentem corruptam demonstrant , tum maxime in hominum oculos ad contagiosum exemplum incurunt .

a. Apostata in malo sensu utique es , & defector à Sobrietate aut temperantia ad intemperantiam . ac eam quidem tum in Cibis , quos sollicitate quantum potes , opiparos & Saliates conquistos , ultra modum infercis : tum in Potulentis , quæ vinaria præsertim itidem quantum potes valida , calida , violenta , fumantia , & vario genere meraca conqueris , coemis , & sine modo ac mensura exauris . Nam cui non nota est illis in oris , ea ebriositas & temulentia tua , quæ tibi quotidiana perquam sæpius ad crapulam ebrius

brius es, nec raro ad nonnihil fœdus? quaque spectatissima sic inclauisti, ut vel præpotentem Bacchi filium, vel Henric. Hulsiam memorare sit idem? Et quare tam negotiose sollicitudinem tuam ad extimas Garamantarum & Indorum plagas pro exstruendis opibus extendis, nisi ut intemperantiae, ingluvieque tuæ lites? Sed hic erit mihi secundum Apostasiam tuæ caput.

b. Apostata utique es & Defector à *Iustitia* aut *Æquitate* & fidelitate Christiana, ad manifestam *Iniquitatem* & *prævaricationem* non unam, Nam anno in infidelitatis & *prævaricationis* notam ipse tibi inuris, dum animum tuum jam cætero- qui nimis defectum dividens, in tantum à Sparta tua deficis, in quantum ad faciendum Terra Marique mercaturas? Sartus autem tectus esto Mercatoribus suis honos, quem nec intendo suggillari! Istud vero dico: Qui Professor publicus omnem quantamcumque industriam Principi & Academiæ solemni jure jurando sacram addixit; ac uihi minus Negotiatoris, Propolæ, Institoris & Trapezitæ negotia in sordidum questum agitat; epistolarum commercia longe lateque cum venditoribus, emptoribus & proxenetis frequentat; crebris itineribus eodem ad emporia visitat; Academicos suos Collegas, quot, quantum potest in eandem ad Mer- cimonium defectionem pellicit & prolectat; quique adeo ea perficere tentat quibus Professo- rum Senatus, in congressum Mercatorum de-

L

genera-

generaret, & Academia in Mercatum: is profecto homo talis, privatas utilitates suas ita turpiter prosequens, est Apostata & defector ut à fide jurata, & ab obedientia, Principi; ita & à solertia ipsi Academiæ atque Juventuti navanda.

Ab eadem etiam Justitia Christiana, quæ ipsa est Probitas, & honestas; defectors suspicendus ad truculentiam & concussions, quas ut in librum meum veteratoriis fraudibus & mendaciis clarasti, ita quoque in omnes & singulos fratres, tuis quomodocumque commodis obstatre visos, strenuissime exerces. At & , quod caput erit tertium,

c. Apostata profecto es & Defector à Pietate ad Impietatem; cui dupliciter præsertim te ipsum tradidisse manifestas. Nempe 1. *questus habendo pietatem*, dum verbum Dei quod tibi docere impositum est, non modo artibus institutiis, caponiis, atque per ipfas popinas & caponas exercitis; sordidissime cauponaris; sed etiam dum idem verbam privatis tuis *ex crasso turbidoque cerebro interpretamentis*, ita somniculose explicas & applicas, ut maximam partem aliud non sit quam ipsum profanare, ac simul, juxta atque te ipsum, deridendum propinare. Sed & Impietatem ostendis, 2. Nullas piorum quorumcumque virorum, inferiorum, æqualium, superiorum monitiones & hortamenta admittendo. sive enim emendari tuum modum & licetiam, qua Doctrinæ qua Vitæ, contendant &

adju-

adjurent ; frustra sunt & antiquum obtines. si-
ve etiam scias , audias , videoas , ac omnimode
revincaris te publico magnoque esse piis omnibus
scandalo ; frustra sunt hactenus omnia , & anti-
quum obtainens , Propheta idem Sybarita , gur-
ges , Epicuri de grege porcus idem manes ; uno
verbo ! publicum magnumque piis omnibus
scandalum. Atqui sinceræ Pietatis , etiam Eth-
nicæ , vel unus in corde radius , posset virum non
plane dissolutum & perdite depravatum , exci-
tare ex veterno , ex lethargo : imprimis post
tam varia infamantiaque susurra & murmura ,
quæ de morum tuorum instituto passim exorta
dispalescunt.

Istud etiam posset , vel id unum , quod nunc
ineedit ; nempe à Pastoribus ad Classem aut Sy-
nodum suam congregatis : Ibi joco-seria de Do-
ctrina & Moribus tuis ventilantes , & liberalem
risum , ut fere tali casu obvenit , gemitibus im-
miscentes ; tandem concludebant , Se equidem
nonquam credidisse , sed nunc nimis manifesta ,
dolendaque nimis experientia conscire & videre ,
Spiritum Sanctum non promi ex Dolio , neque
ex Amphora loqui. Tu vero nil talia mora-
tus , antiquum obtines ; Ac Propheta idem ac
Sybarita , publicum magnumque manes , magnis ,
parvis , omnibus piis scandalum.

Certe autem is qui publicus Theologiae S.
Doctor , videt ea ratione se causam esse quod pre-
clarum Dei nomen & Doctrina , viaque veritatis

blasphementur, 1. Tim. vi. vers. 1. seque ex illis Pseudoprophetis qui per avaritiam fictis sermonibus redemptos à Christo negotiantur, quos Deo suo Venti, quantum in se est, adoleant, 2. Pet. 11. vers. 2, 3; Philip. III. vers. 19: is inquam talis Doctor quem interna Dei & sui conscientia nondum redarguerit, si tot externis insuper rerum momentis & incentivis non se patitur revinci; omnino Pietatis desertor est sive Apostata.

Quid ad hæc ergo dicemus? Clamet alta voce Paulus; quin ipsa ilustris illa Gratia Dei salutifera quibusvis hominibus, alta voce clamet eрудiens nos ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, *Sobrie, Iuste & Pie vivamus in praesenti seculo!* at ex adverso noster Opponens, Christianam, imo & Ethnicam Sobrietatem, Justitiam, & Pietatem deseruit; in contrariorum vitiorum eum prolapsus habitum cultumque, quem dissimatus ille Julianus, qua vita continentia fuit, exhorresceret: & is non erit ipse, quidquid externum supersit, Christianæ Religio-
nis Desertor & vero sensu *Apostata*? Cumque in ea sua defectione dicam an dissolutione, cuius fontica multa, utur certissima quoque, reticui, tum quia utcumque minus sunt divulgata, tum quia non nisi coactus has jam nimis multas fordes recenseo: cum inquam in ea prolubii sui luxurie tam avide & insaturabiliter anhelet, esuriat, sitiat quidquid illi amplius nutriende & foventiae facere potest videri; annon idem simul ac semel,

fermel, tum Virtutum Deserter, tum Bonorum
terrestrium Esuritor, erit & vero sensu *Fameli-
cus Apostata?*

Candide ergo, sine fuco, sine præstigiis lo-
quamur! verba vel nihil, vel incongruentem
vulgi sensum sonantia aut mittamus, aut vero
sensu sumamus! Uterque nostrum est Apostata
famelicus. Ego Apostata ejus cuius tu Fameli-
cus es; Tu Famelicus ejus cuius Apostata sum.
Tu Apostata ejus cuius Famelicus sum; Ego Fa-
meliacus ejus cuius tu Apostata es. Nempe, Ego
Apostata Mammonæ & Voluptatum, Fameli-
cus Sapientiæ & Virtutum: Tu vero; Apo-
stata Sapientiæ & virtutum, Famelicus Mam-
monæ & Voluptatum: sicque tu noleas volens,
vero at sequiore sensu audis, *Henr. Hulsius Apostata
famelicus.*

Ah! ah! Henrice de siliquis, Inanissime scur-
ra! quam inaniter Candoris defectum in Inanitate
tua spectabilem, supplere laborabas Calumnia-
rum tuarum inanissimis inaniis! ut in quibus men-
dacia perlucidiora vitro, ipsam tui transmittunt
imaginem; at profecto tanto magis nunc fœdi-
simam! Etenim me has Calumnias, illi Con-
tumeliarum prægressarum figulino cervicali indi-
tas, exagitante & discutiente; vas quod jam
quaßlatum erat & rimosum, tandem etiam dif-
fractum est; singulaque ejus fragmenta cum in-
gestis paleis, quisquiliis, putribusque siliquis,
omnes inquam istæ fordes una colluvice miscel-

la , in caput tuum sunt effusæ. Ah ! tu celebri
illo stulto Callacone stultior ! qui Inanitatis tuæ
Ignorantiam , & Fraudes , talibus Contumelias-
rum & Calumniarum velut antepagments con-
tectum , suffultum , incrustatum & exornatum iri
putabas ! Quem si tanto magis Ignarum & Frau-
dulentum , quanto magis Conviciatorem & Ca-
lumniatorem , nunc tandem pro meritis insectari
aggredior ! Quem si ad purissimum Veritatis spe-
culum , juxta Physiologiæ & Ethologiæ lumi-
na , particulatim examino , contempnor , & ad
vivum defineo ! Quem si , justissima tandem in-
dignatione correptus , & hoc calamo meo in gra-
phicum fustem mutato , batuere , cædere , & pro
maligna fatuitate flictim , efflictim castigare non
differo ! En ! jam nunc à sordidati capitis com-
mitigatione incipiens Atat ! cogitare subit
aliquid superesse , quo illarum contumeliarum
& calumniarum ignominiam sibi reformidatam
prævertere , & à se devertere voluerit : cui
datum esto sequens caput.

C A P U T XI.

Ipsarum Contumeliarum & Calumniarum igno-
miniam , vult intervertere Diris ; quibus
caput meum ut piaculare devoveat .

Neatiquam abs re putares , humanissime Le-
ctor ! Opponentis nostri animum , sic satis
tan-

tandem iræ impotentis æstu comparere percitum,
ut æstuosiori non possit Inanitatem suam contra
me scripsisse credi. Est tamen humanum id
judicium tuum, homine nostro multo humanius:
ut quem in ipsius moderationis meæ vestigiis id
quæsivisse dices, quo certatim ex adverso o-
stenderet, se quanto sum ego modestior, tanto
immodestiore & immaniore esse lætari.

Sub finem meæ *Veritatis*, postquam Refor-
matos, *Dilecti Fratres Reformati!* compellatos,
seria quædam admonui, sic pergo pag. 387., In-
terea vero, Lector Reformate, charissime
Frater! cave ne ex hujus quod præmitto operis
lectione, præjudicia tua permittas in furorem
sive contra me efferari, sive contra Ecclesiam;
ac si præ superba sua tyrannide, jam diu nequi-
dem digna sit cuius causam examines! Hoc e-
nim superbo sane ipso furore tuo, tanto ineptior
fieres meditandæ veritati, & ineptissimus asse-
quendæ... Ab experientia scilicet dudum
noui, quomodo vulgus, sive plebejorum & se-
midoctorum ingenia, ad omne momentosæ rei
serium & defeccatum examen communiter
inepta; soleant præsertim in contendendarum
inter se Religionum negotio, præjudicatis à
puero opinionibus abripi, & ab omni scrutatio-
ne facienda præpediri.

Illa igitur verba mea legisse & deprehendisse,
Hulso volupe fuit. Nam ingenio quidem & sa-
pientia consistens in semiductorum classe, at in-

super odio exitiabili nescio quo turgens; nequaquam neglecturus erat facere, quod ut caveret Lector, tam honeste & pie petiveram. Nempe igitur libentissime frena laxavit furori, & cum contra Ecclesiam quidem, tum vero contra me præsertim & direkte, efferatum planie vides. Neque enim tantum eas Contumelias & Calumnias hic supra discussas debacchatus est, quas proxime tamen ex Stultitia ad furorem accedere, dubio procul mecum judicasti: Sed cum in ejus Inanitate perspicere possis efferum ubique regnare animum, tum vero id planissime patet attendenti, quis tandem ejus sit ad me respectu habito scopus? aut quem sub ea librum meum refutandi specie, ultimum finem habuerit? An me erudiendi? aut in viam quam putet rectam, me revocandi & reducendi? Nequaquam sane! Imo vero tantum abest; etiam ad has compellationes meas, Dilecti Fratres; & Charissime Frater! prophetica gravitate & severitate indignatur, easque tanquam convicium sibi factum, fastidiose a se spernit, ac non in uno Inanitatis loco excutit, otioseque destinata opera insecatatur.

Atqui Reformatos sic fratum nomine compellans, feci quod Catholicæ Charitatis & piæ Consuetudinis est: quam nescivisse videtur homo in vera Catholicæ Religionis cognitione, juxta cum rudi plebe novus. Sed cum hac in compellatione mea, tam ipsum non nominavem, quam de quo nec cogitaverim; quot putas,

tas, si nominassem, flammantes fumos eructaturum fuisse? Per me autem licet, eum *Fratrem* vocent, quos non una cognatione sibi similes ex Arcadia & Antronia adscivisse vidimus! Ac si jam quis Balaam (*Num. Cap. xxii.*) ad Balak Moabitarum regem vehens, nostrum obviam sibi factum compellaret; *Bona dies, Frater noster Hulsi!* Eamus hoc reer nos tres una. annon iam intelligamus quantam & quotuplicem ex vero rationem haberet uon indignandi?

Verum vero, his in transcursu præmissis, dico: Totius Inanitatis scopus, & ultimus quantum ad me finis est, me funditus pessum dari. Istud anhelat; istud augurat; istud male omnatus verbis & sententiis contendit probare certo futurum, ac tantum non apertissime imprecatur & vovet.

Ā. Et quidem quod ad sortem meam *temporalem*, id agit ut inter Reformatos quidem oblivioni sit omnis mei existimatio, & memoria etiam maledictioni. Non enim contentus honestam famam meam, eo quo visum est modo dilacerasse si potuisset; meam quoque Propinquitatem ipsam proscindere ibi laborat, ubi ut certum quid etiam eructat, Hugueninos saltē fuisse qui mali essent commatis. Rabida prurigo calumniandi! Quasi vero tam peritus hominum cogitor, qui in annorum undecim consuetudine tam male me didicit; eos nosset quos vidit nunquam, à quorum patria tam dissitus ætatem

L 5

vixit!

Vixit ! Quasi vero & malicommatis eos dicere possit, de quibus haud dubie nihil ad ejus aures perlatum fuit unquam , aut nihil saltem perferriri potuit non laudabile ! In omnem eventum tamen , maluit calumniose calumnias hariolari, quam ipsam agnationem meam non suggillatam dimitti. Sunt non unius Prosapiæ *Huguenini*, agnolco : Sed ut de earum ulla quicquam mali audivi nunquam ; ita de mea nominatim in quam dubio procul collineavit , certissimum perstat , esse ab omni labis & macularum aspergine purissimam ; ac talem de cuius Cognitione & Affinitate ultimo meo Veritatis Capite scripsi.

Rabida prurigo calumniandi ! & omnem quantumcumque honorem meum proculcandi & famam restinguendi ! Rabida oris maledici libido , meraque deprevati cordis voluptas ! nisi etiam ei præsentaneæ voluptati , accedat infrumentum necio quod studium de portis communioneis Reformatæ , fortissimo vecte mihi obserrandis , ne qua forsitan postliminio possem regredi ! Egregia vero & digna tanto Propheta cautio ! Ast tamen utcumque rabias , non timeo profiteri quod tibi dividiae sit & senio : illis scilicet in Cliviorum oris , nullum esse virum cordatum , Religionem adeoque non in nomine consistere granum , cui interiori notitia nos æqualiter ambo notisimus ; qui etiam hodieque ab indole , probitate , moribus , & reliquis , me tibi non præferat.

Verum

Verum vero eadem & rabie & successu provi-
des, ut dum de me conclamatum sit apud Refor-
matos; apud Catholicos nullum mihi pateat a-
zylum: ut nimis ita sacrum inter & saxum,
quod ajunt, constitutus; perire necesse habeam.
Frequenter enim & variis modis innuis, incul-
cas, baubaris; me non sincere Catholicum id u-
num moliri quo rebus meis consulam, sordidae
glebae affixus, famelicusque Terræ filius fame
perire dignissimus. Quin si tantillum furoris in
me tui suggestionibus & celestis audire vo-
lunt, concitati in me ruent omnes, & hoc piacu-
lare caput oppriment: jaculatis etiam Ecclesiæ
Anathematis.

B. Etenim quod ad sortem ipsam meam spiri-
tualem & eternam attinet, nihilo mitius de me
actum iri, aut agendum esse censes: quin & pla-
ne furibundus Ecclesiam Catholicam ad πάνο-
τελέσπιαν omnimodam perditionem exitiunve meum
advocas, obtestaris, incendis, & quanto potes
nisi concitas & adstringis; dilectam nempe il-
lam Antiquam Matrem tibi habendam si te hac
parte exaudit. Quid enim istud est in Præfatio-
ne aut Dedicatione tua ad ipsam? Verba non
cuncta recordor: at res omnino sic habet. Post-
quam diffuse nescio quas inceptissimæ loquaci-
tatis sordes, profanatis S. Scripturæ, præsertim
Propheticae, locis permistas excrevisti, quibus
crimina, scelera, Idololatriam, corruptiones
horrendas, & quæcumque deum Ecclesiam
per

per ætates Mundi afflictura erant ; adeoque & iram, judicia, fulmina, maledictiones Dei omnes in illa crima prædictas, rustica tua stirbagine recensuisti, & Ecclesiæ Romano-Catholicæ applicuisti : tum demum sacro, scilicet, Propheticoque furore tuo corruptus, verba de me ex improviso & prima vice facere incipiens, mentem tuam in hunc sensum interjicis ; *Quæ tam non resero ut in ipsam Antiquam Matrem dicta, directa, aut à me impacta veniant ; sed omnia in impurissimum Apostatam referenda & invergenda intendo.*

An insulsitas, an stupiditas, an nequitia, an odium, an delirium, an impudentia, an fatuitas, an ebrietas, an certissima dementia, ibi manifestius se prodat, nescio quidem ego. hoc scio : omnia illa tam manifestissime apud omnis attenti Lectoris mentem se simul ut congregata fistere, eamque tam vehementer percellere ; ut talia à se scripta & typis evulgata fuisse non magis vellet, quam summam ignominiam, æternumque opprobrium nomini suo inuri. Este enim quiddam ex iis omnibus ita compositum, expressum & expumansut in purum putum furem, & impotentissimam rabiem exundet.

Sim omnium illorum ; sim primitivæ & subsecutæ corruptionis, defectionis, hæreseos, Schismatis, impietatis cuiusvis inter Christianos & in Christianos ; sim omnis quæcumque haecenüs inter Christianos sœvit calamitatis ; sim inquam

inquam omnium illorum ego causa ! sim nunc &
futurus sim omnium illorum piacularis , & zelo-
tæ , ultiorque Deo devovenda victima ! sim jam
extemplo omnibus Ecclesiæ Anathematis &
fulminibus feriendum , ac Omnipotentis Dei ,
Christi & Apostolorum nomine exterminandum
Monstrum ! sim ego Sed quid fœdissimæ
ejus rabiei colicias perreptem , quas pius Le-
ctor legens videt , videns horret , dum tamen &
ob rabientis impotentiam mecum ridet .

Ac ne putas fanaticum & *impurissimum* Apost. -
tam nolle saltem ista ad æternæ meæ damnatio-
nis omen , apertissimumque votum furenter
sanciri ; expende duntaxat , pie Lector ! quod ho-
mo totus sordes & virus , aliquanto post in Ina-
nitatis suæ prolegomenis , mihi insultante , mea-
que fata exsequente animo ac stylo blaterat . Ibi
de sibi dictis Apostatis otiose faciens arbitria , &
me cum tot illis Ecclesiæ Reformatæ in Gallia
desertoribus contendens ; istos quidem non satis
audet scrupulosissimus Salutis æternæ sequester ,
reos pronunciare peccati *ad mortem* , illiusve *in*
spiritum S. blasphemie quam futurum est neque
in hoc remittit neque in futuro seculo . Intereaque
de illo horribili peccato , pro more suo , idest
ineptissime garriens , ut qui ejus intelligentiam
quam ipsi per studiosos dare sategeram , necdum
ulterius affecitus sit quam usque ad certorum
Scripturæ textuum , ipsarumque dictionum
guarundam mearum prolationem : de illo

inquam Peccato garriens, ô quam multis parastangis me eorum Gallorum desertionem sacrilego gradu superasse contendit ! quam clarissime ostendit sibi in votis esse ut id Peccatum ad mortem peccasse credar, & proin me ipsum peccasse reapse ratum sit !

Ach du liegenderlicher Gast ! quam enixe, quam operose, quam rabide nugas agis ! Ac tanto magis rabide quod eadem opera te ipsum vere sacramentum demonstras ; dum divinam Majestatem Iudos tuos facis, læsæque Majestatis Divinæ reatum contrahere, modo ut pro fatua tua ambitione, nulla tibi religio est. Quid enim, ex. gr. vanius & futilius erat quam à Mundo istud sciri : Huguenini liber est stupenda, & infra plebecula fœces crassissima ignorationis : sic enim sentit H. Hulsius ? Attamen vanum istud & futilissimum quid, solenni jurejurando, a ternoque Deo in conscientiam tuam teste invocato, idque conceptissimis verbis paulo post in eadem Dedicatione affimas. Quam pulchre autem, statim id Romanam scribendo, Principum Ecclesiæ, Ipsiusque Santissimi Patris judicium prævertisles ! Interea tamen dum nimis sero venis ; Jusjurandum id tuum certe vel objectu primo prodit, te facilem proclivemque nomen Dei in vanum sumere.

At vero subest nonnihil multo magis tetrius. Ut enim non temere quis fortasse credit, rem tibi quidem videri ut juras ; animo tamen statim excipiet, te de videri non esse locutum, sed ju-

rasse

rasse eum librum talēm revera esse : adeoque te, cum prorsus insane credere , judicium tuum esse normam & obrussam , ad quam Doctorum orbis possit, debeat suum quisque exigere & submittere judicium ; tum prorsus impudentem esse , qui tam insanam illam de te opinionem obtrudere mundo sic audeas ; tum & prorsus fatuantem , qui non senteris te vel ob id unum vere Doctis fore deridiculo : præsertim si contra quam tu , eorum nonnulli , at multo magis si onnes & singuli , uno animo , ore , testimonio , de eo libro sentirent.

Necdum vero totum est. Nam tametsi possim concedere , meam Veritatem Catholicam , tibi non intellectam esse , ut quem supra vidimus vere ridiculum Andabatam contra præliari , quemque certus sum non alia de causa ad id prælium descendisse quam quia id tibi alicunde commendatum declinare puduit ; attamen certissime credo te eam eosque intellexisse , ut satis perciperes cum maximam partem tuum superare captum , tum partem ejus nullam , rite & qua par erat à te refutari potuisse . Hoc quamvis rebus ipsis nondum sic palam esset evidens , jurare , (at sanctius quam tu juro ,) jurare inquam non dubitarem . Istud certe indubitatum est : Neminem tuam Inanitatem esse lecturum , qui non agnoscat id tuum judicium de stupenda futilitate Libri mei , etiam à se nondum lecti ; contra conscientiam tuam pronunciatum & chartis allitum fuis-

se; adeoque te palam esse profanum . perjurum,
& læsa Majestatis Divinæ manifestarium sum-
meque petulantem reum.

Quod ne non evidens sic esset ut posses ipsis
tuis convinci verbis , abunde perfecisti. Nam
tu vel nou memor , qualem quidem mendacem
& perjurum esse oportet ; vel ipsius Majestatis
læsa judicio lœsus & percussus , ipsis idem tu
non semel , sed iterato & hinc inde ubi tuas ina-
nias prescribens laxius garriendi ansam temere a-
ripis; meas pro Veritate expositiones , nunquam
certe tibi ante visas , præfers celeberrimis qui-
busdam Catholicorum Doctoribus , ut Bellar-
minis , Cajetanis , & , nisi fallor , nonnusquam
ipsis Conciliis. Quod jam alia occasione superi-
us animadversum , hic propter perjurium repeto.

Scilicet , tam futilis eras verendum id jureju-
randum concipiendo , quam futilis fuisti tuas ina-
nias scribendo ; & tam futilis has scribendo ,
quam id jurandum concipiendo. Utrinque futi-
lis , tui ipsius duplex edis ipse spectaculum : al-
terum quod rideant , alterum quod exfescerentur
Lectores. Nam ex illo de libri mei vilitate tam
sancte asserta præjudicio , quod tam magnam in-
volvit de tuo opinionem ; quis ad hunc , tuum
aempe , transferit legendum , ac tuas inanias ,
bellas inanias , scitulas inanias , argutulas inanias ,
ridiculas hercle inanias legerit , expenderit , &
non hoc ipso riserit ? Ast & quomodo non idem
tamen , ejus solemnis juramenti tui memor ; te
ejus

ejus ita immemorem , adeoque & hic illic te tam horrendo quam futile modo perjurum deprehenderit ; & non hoc ipso te exsecratus erit ? Et quomodo rursus idem non maluerit quantamvis fluxam fluxæ quantævis famæ jacturam pati , quam tanta impietatis ignominiam & opprobrium nomini suo publice inuri , & quidem à se ipso inuri ?

Mentiri igitur , fatuari , rabire , Dei verbum profanare , Dei nomen in vanum lumere , perjurare , & Majestatis divinæ reum te libidinose constituere ; nihil illa cuncta pendis , dummodo viri docti famam obtineres ? dummodo tu illis quos te doctiores non ignoras , Doctiorem esse te toti mundo imponeres ? dummodo Huguenino esse te doctiorem , & ejus libro tam triviali , tuum illum omnimode & infinitis parasangis esse præstantiorem , Orbi Christiano falsam fidem faceres ? dummodo inquam Hugueninum fortunis omnibus evertere & æternum pessimum dare posses ?

Ach du esendiger Narr ! in quem Labyrinthum efferatus te dedisti ? quam cæco amoris proprii furiaris oestro ! quam impotenti livore lymphatus discruciaris ! odio quam rabiose impio me frustra insectaris ! I ! Perge ! Infectare ! Furor quod potes ! Quam facile , quam diu respiro ; tam diu , tam facile semper omnes conatus tuos in auras difflabo . I ! Mentire ! Fatuare ! Pejoral Quam facile , quam diu respiro ; tam diu tam facile

cile semper omnes nugas , quisquiliaque tuas in ventum sufflabo ; sicque mei , at magis Veritatis & maximie Dei vindex ero . Tam facile inquam omnes conatus & nugarum quisquilia tuarum in auras & ventum reflabo , quam facile tandem hoc calamo meo in graphicum fustem transmutato , nunc districte te batuam , cædam , & pro claris meritis tuis , te flictim , efflictim castigare non jam amplius differam : Nam quamobrem adhuc differrem , cogitare nunc nil subit . En igitur ! jam quæverbera tantisper posueram resumens , gursum ab efferato capite incipiam , quod ante omnia probe commitigare convenit . En tibi ! Anergo tu Mendax , tu Fatuum , tu Perjurum caput ! ita efferaris , ita furis , ita rabis , ut

Mi Æquamine Lector ! Post aliquantum interrupto sermone factum silentium , adscribendum gedeo ; & narro quod meæ nunc obversabatur menti . Inenarrabilis formæ & Majestatis Regina , verendo pariter atque devenerando nutu me æntuens , tam suavi lumine me pertusum affata est , ut ipsam Dei Sapientiam esse , continuo perciperem . „ Audi , infit , Fili mi ! Ea quibus adhuc , ex meo præcepto , respondes stolido secundum stultitiam tuam ; agnosco consiliis meis sentanea , & clementer approbo . Ac id eo clementius , quod nec is homo fuerat unquam à te , ulla affectus injuria , nec in Scripto tuo de Veritate lacefitus : quodque insuper nemo prodibat , diuque nemo proditurus erat qui e-

um arguisset stultitiae suæ ; aut qui ipsum con-
vincendo , non esse cur de se tanta sentiret , ip-
sum cordate dedocuissest esse sapientem in oculis suis . Quin & ea quibus etiamnum eundem
arguis & increpas , tanquam qui contra amo-
rem proximi & ipsius Divini Nominis reve-
rentiam , enormiter sit evagatus ; meis præ-
ceptis non adversa etiam nou improbo : imo
clementer quoque approbo . Nam tametsi
Lingua illa qua per Salomonem Hebræorum
Hebræorum Regem oracula mea dictabam o-
lim , cunctis Mundi nationibus ac seculis de-
stinata ; non habuit voces id proprie & præci-
se significantes quod tu nunc per efferatum , fu-
ribundum , & rabidum exprimis : attamen hos
eosdem quoque in Proverbiis meis sum com-
plexa sub generali & varia notatione nomi-
num stulti , stolidi , fatui , recordis & dementis ;
ut quorum illi sunt species per nimietatem
exundantes . Et vero hos posteriores discrevā
hoc ipso abillis , quod iis pœnas addixerim non
eadem , sed convenienter differentes . Cum
itaque mi Fili ! prudenter debeas ad sermonem
meum & ad præcepta mea attendere ; reflecte
nunc animum ad discriminem saltem generale
mearum de Stultorum pœnis sententiarum .
Sunt stulti , quibuscum agendum est verbis ,
ad eorum variam stultitiam varie attemperan-
dis : & de his meum est illud quo institisti præ-
ceptum ; Responde stolido secundum stultis .

am suam , Prog . xxvi . vers . 5 . Sed sunt alio seu
 obstinationis , seu pervicaciæ , seu fatuitatis gra-
 du Stulti ; quibus non verba destino , sed ver-
 bera , ut vides ibidem vers . 3 ; & Cap . xix .
 vers . 29 ; & Cap . x . vers . 13 ; alibique . Ast
 quamvis agnoscam , cum adversarium tuæ cau-
 sæ & iphius tui , in horum posteriorum Stulti-
 tiam exundare , & sic in eundem cum ipsis pœ-
 næ reatum incurtere ; quia tamen is non est sub
 potestate tua , atque eum præcipue ob finem
 per me reges regnant , & dominatores decernunt
 justitiam . (Prog . viii . vers . 15 ,) ut prote-
 gant & remunerent homines probos & frugi ,
 pariterque reprimant & castigent indomitos
 & improbos : committe tu ejus illam distri-
 ctionem correctionem , Dominatui cui subest ,
 ut qui Justitiae sceprum non frustra gerere de-
 bet . imo ejus districtiorem illam correctio-
 nem , mihi ipsi obtemperando relinque ! Quia
 &c . si mihi auscultas , tibi jam satis erit , exu-
 berantem ejus fatuitatem , quod fecisti , per-
 strinxisse ; ac illam asperiorem nomenclatio-
 nem , Efferi , Furiosi , Rabidi , hactenus u-
 surpassa : & si illam per reliqua fateris præ-
 terire , tu magis Eruditioni meæ attemperatus
 eris . Namque de cætero , tua illa Veritas est
 & perstat in columis : Firma Rupes ad quam
 advoluti Inanitatis fluctus , inaniter se fran-
 gunt , & sordes suas expumant : Sublimis ex-
 ære Statua , triumphanti pède calcans allapsi

Draco-

„ Draconis bis senos jugulos , rejecto per tot ca-
„ pita ad lethum se quassantia , purulento tabo &
„ viro , quo fœde turgescebant . Nec alia Filiis
„ meis sub idea veniet , aut venire providebo.
„ Reliqua tu tantummodo pertexe , ad Scripti
„ tui finem tendens ! ac cæteroqui nil minus cor-
„ date rem peragens ! quem si vocem meam
„ diligenter audis , nunquam sum derelictura.
Hæc statim ac ab Adorabili Regina regum &
Domina dominantium , mihi nunc audita sunt,
consigno : His qua pars est venerabundus , lata-
bundus obsecundo : Vocibus quas designavit
asperioribus , per reliqua comparco ; & ad Scri-
pti mei finem tendens , nil cæteroqui minus cor-
date rem perago ; qua fini Caput novum inchoo.

C A P U T X I I .

Responsonis hujus talis causas decretorias exponit ;
ac Hulsi saniora commonitum , serioque
reprehensum , etiam arque etiam
provocat .

AD Scripti ergo mei finiem mecum tendens ,
cordate mi Lector ! aliquantum animo re-
trospicere , & vide . quam non se tales gessit No-
ster , qualom optaveram Opponentem , Doctil-
sum , Candidissimum ! & quam vel ob Erudi-

tionis & Candoris defectum, etiam indignus erat cui verbum ullum responderem ! Sed & recordare, illinc, quam diserte statueram & professus eram nihil omnino respondere ei qui non satageret me ex iisdem meis, communibus nem. pe principiis refutare; seque intra materiam libro meo comprehensam continere : hinc vero, quam ejus omnino nihil saterget, ut nec satageret valuerit Hulsius, in plane contraria vagatus & dispalatus ! Et hoc ipso clarius adhuc jam capis, quam indignuserat cui verbum vel unum repnere dignarer.

Sed & deinde recogita, illinc, quam honeste, quam pacifice rogaveram Opponentem futurum, ut caveret à præjudiciis mentem & animum obnubilare & perturbare natis aptis; utque adeo caveret ab excandescientia, eamque vulgo sequentibus pectatis : hiuc vero reputa, quam in diversum abierit Noster, Contumelias Calumniis aggerans, & utrasque Diris ac intemperiis ! Et hoc ipso clarissime intelligis, quam omni modo se dignum gesserit, cuius Inanitati solum contemptum opposuisse. Imo vero, Lector humanissime ! clarissime intelligis suisse cum ob Imperitiam, vehementer nimis indignum responso & dignissimum contemptu; tum hoc ipso tanto dignorem cuius Petulantiam & ferocitatem pro mensura delicti repressam flagellarem.

Ad tantam Imperitiam, meritissimo potueram,

ram, imo & ex conditione mihi præcauta, de-
bueram omnino tacere, si non accessisset Petu-
lantia. Ad tantam vero Petulantiam tacere, nul-
lo modo debui, nec etiam potui: ad quam pro-
inde solam respondere adstrictus; liberaliter &
gratis feci, quidquid ad ipsam Imperitiam, tu
gratia notandam, discutiendam & refutandam,
per priorem hujus Scriptifere medietatem, sum-
matim præmisi. Illa autem sic præmissa Refu-
tatio Imperitiae, seu censoria notatio ineptitu-
dinis tam Methodi quam rerum, contra Verita-
tem meam in Inanitate allatarum; est cum sub-
secuta Petulantiae ipsius refrenatione, id meum
responsum quod Hulsio reponendum esse sensi,
& quod ipsi à me regestum hic habes. Qui u-
triusque librum legere volet Lector, & juxta
sibi oppositos invicem conferre; facile agnoscer,
cum mihi aliud agendum non incubuisse, tum
me partibus meis pro afferenda mea Veritate ita
esse defunctum, ut discussis Adversarii præstigiis,
ea prorsus illæsa stet & incolmis, atque splen-
didius eniteat.

Non tamen forte deerunt viri Docti, qui li-
cer agnitiuri sint partes meas intra hanc respon-
sionem tales contineri merito potuisse, quin &
propter rationes datas, debuisse; atque hanc re-
sponsionem tales, sibi qua examinantibus Ina-
nitatem, qua Veritatem in sua compagine per-
stare illæsam videntibus, plane satisfacere: ni-
hilo tamen minus vellent Opponenti ansam esse

præreptam causandi & querendi, hanc nimis generalem esse brevitatem meam ; ut quam particularia articulatim non prosecutam, non triumphare posse nonnulli garrent.

Et sane quidem illis ego Doctis prorsus assentior : ac id eo plenius quod mihi forte melius est nota , illa Opponentis effrena procacitas. Ac profecto pervoluisset ipse , ut putatas suas oppositiones ea utcumque tolerabili ratione in Eruditorum lucem emisisset , qua dignæ fuissent à Docto , Candido , Cordato & Approbatu viro particulatim discuti. Cumque etiam mihi facile prælagiat animis , hominem veteratoris officiis mirifice assuetum , non omissurum esse ejus meæ brevitatis prætextu , non modo rem sibi bene gestam jactare , sed & forsan tanquam victorem , receptui canere velle : ecce ! jam & garritum illum , ac ovationem istam præverto , & in antecessum confundo.

Quod ut plene faciam , En tibi , mi Opponens ! eam ob oculos rationem tolerabilem pono , qua in Eruditorum lucem prodeas , quaque Oppositiones tuæ dignæ sint à docto , candido , cordato & approbato viro particulatim discuti. Tribus verbis efferti potest. Ipse tu nempe prodito doctus , candidus , cordatus & approbatus Opponens ! sic tibi res erit salva.

1. *Doctum autem opponentem te gerere non potes* , si non rite tibi pernota est tum Materia controversa , tum Positiones concertatoris tui ,

tum

tum & Methodus qua eas tractavit & adstruxit: deinde, si, illis quanquam omnibus forte an tibi notis, non te aut vis aut potes accommodare ad præcautas ab ipso conditiones, accuratam duntaxat rerum disquisitionem manifeste spectantes: quales hic erant; In datas positiones meas, summa omnium Controversiarum complexas, alias confusim non intrudere: &, Iisdem communibus principiis agere.

Tam autem ab his omnibus, qua non volens, qua non valens, imparatus accessisti, ut non tantum Religionis Catholicæ omnia Dogmata confuderis; sed & ipsius Reformatæ non pauca prave traduxeris. Ac illa si per summam à me quæsitam brevitatem licuisset, contra te defendenda suscepissem; si quidem me talia unquam professum esse puderet. Ut cumque sit; quanto ab exquisita Eruditione imparior accessisti, tanto magis incumbit honori tuo, ut id qualcumque quam optime poteris emendes. Et antea poteris saltem, te intra solius libri mei impugnationem, ac solius S. Scripturæ usum continere?

2. *Candidum vero Opponentem te non geres,* si quod præcipuum quæris, non est ipsa Veritas, sed tui ipsius gloria; cui per fas & nefas, etiam quantovis cum veritatis & modestiæ dispendio lites. Quod uti vere Docti Lectores semper ubi contingit, callide discernunt; ita quam variis id modis in oculos recurrentibus, contra me fas-

etitaris , tam magis honori tuo incumbit ut id qualemcumque meliori quovis modo resarcire labores . Et annon poteris saltē animum sic moderari , ut Veritati meā non addas quæ mea non sunt , non detrahas quæ mea sunt ; non imputes falsa , non neges manifesta ?

3. *Cordatum* porro Opponentem te minime præstabis , si contumelias , si calumnias in Adversarium tuum talibus nusquam usum perspergis : ac multo minus si ejus ipsam , ut vocant , personam diris infectari & adobruere conniteris . Quam autem ab his omnibus nequaquam abstinisti , tam magis in honorem tuum impendet necessitas , illa quantacumque efficaciōri quovis modo publice medicandi . Et annon posses agere cum innocentē viro , nil de te mali merito ; sine illa animi & sermonis intemperie tanta , quanta ipsam vel plebem nautarum , aurigarum & ambubajarum non dedecere non posset ? præsertim Theologus agens cum Theologo de ipsa Christianæ Religionis Theologia ? Et Christianos hac via apud iplos Turcas , ipsoisque etiam Ethnicos , quantavis sectarum similitate & dividia disparatos , traductum iri , Christianorumque Religionem & Mores exscratum iri annon intelligis ?

4. *Approbatum* denique Opponentem te non sistes , qualem peculiariter requirit publica Disputatio de Religione , si publici Nominis obtentu in arenam descendens contra Scriptorem

aut

aut Librum approbatum ; non ipse quoque publicam tui *Approbationem* profers. Etenim absque illa , socii Réligionis cuius publicum qua Nomen qua Negotium obtendis ; potueris semper pro re nata , Scriptionem tuam velex parte , vel & totam inficiari , diffiteri & rejicere : quod & potueris ipse Tu. Ac ut tu sis Doctor publicus , sum & Doctor publicus ego ; qui publicam tamen *Approbationem* addidi. Et vero , quam legitime & mérito potui , debui id *Inscitiae* , Fraudium , Contumeliarum , Calumniarum & Frendoris , totum tibi imputare soli ; annon tam manifeste rationem instantem vides , qua gravatum honorem tuum , magna ejus oneris parte alleves ? Namque ut quidquid juris habent Professores apud vos , hic frustra allegares ; annon insuper res est proclivissima , *Approbationem* Vestrorum Publicam à te sic addi , ut illo jure nequaquam excidas ?

Quemadmodum igitur hac cautione quadruplici , te Doctum , Candidum , Cordatum & Approbatum Opponentem sistens ; oppositionem tuam de cætero qualemcumque , tolerabiliiter is Eruditorum lucem emisisses ; ita si porro ex hac eadem quadruplici cautione mecum agere studebis , certe qualemcumque Oppositionem tuam non habebo indignam à docto , candido , cordato & approbato viro discuti , formalique responsione dispungi.

Jam autem caperata fronte cogitas ; An ergo illius

illius Catholice Veritatis refutationem novam
adornare tenerer? Atqui profecto si tale quid à
te contendereim, ut quo Veritatis læso honori,
meoque aliquatenus satisfaceres; nihil à te con-
tenderem quod tua ipsiusmet conscientia & ho-
ritos non commendet. Quandoquidem tamen
istud morosius potest molestiusque videri; ac
eo prætextu rem in statu quo est totam relictu-
rus, gloriareris me ad ampliorem tui refutatio-
nem declinandam, id tale quid causari: en! ni-
hil à te contendō, nihilque te postulo quam ut tu.
as ad librum meum objectiones, vel easdem aut
recognitas, aut fusiōres, aut contractiores recu-
di, vel novas quales & quantacumque voles
alias, publicari cures, doctas, candidas, & cor-
datas; id est uominatim, solas, sive ab illa miscel-
la farragine tot sordium, ad rem ipsam nihil nisi
tricas & caliginem conferentium, secretas repur-
gatasque: Adjecta scilicet publica App-
probatione, qua te non ultroneum, temera-
rium & rejectaneum Opponentem, qualem
omnino te habeo, & à Reformatis ipsis te jam
haberi credo, sed te Approbatum Opponentem
esse constet. Ac illud quidem de tuis solis iisdem
objectionibus edendis, eo magis extra morosita-
tem & molestiam fieri senties ipse, quod ita liber
tuus, duobus ut minimum trientibus minor, &
sic ad suos usus quam maxime commodior pro-
dibit.

Cumque saltē talis erit ut non perinde eum

arti-

articulatum refutandum legere, tangere, videre
sim deditnaturus, uti quidem post illam bidui
usuram, legere, tangere, videre, meritissimo
dedignor; tibi sancte promitto, me tum brevi
tuas objectiones aut responsiones omnes & sin-
gulas articulatum discussas, docte, & (pro modu-
lo,) candide, cordate refutatas, atque per ty-
pographum, adjecta Approbatione, descriptas;
ad te esse remissurum.

Si tu ipse eas aliquid esse, & contra me subsi-
stere posse putas; aut potius si tu non formidas,
eas perquam facile à me omnes resolutum & arti-
culatum dissipatum iri; sicque impotentiam tu-
am amplius adhuc & particulatum reiectum: uti-
que tam proclive quid, ignominiam tuam quo-
modocunque diminuturum, perficere non ne-
gliges. Ad hoc te expecto: & per amorem
Veritatis, ipsumque per honorem tuum, quem,
dum meum calumniatus es, fœde conspurcasti,
ad hoc te provoco!

Utcumque vero hæc mea tam solemnis Pro-
vocatio, sit efficacissima via qua te ad id adstrin-
gere possim; nescio tamen quomodo contigat ut
metuam ne non id perficias. Quin &c, è contra-
rio, nihil proclivius futurum subsentio, quam ut
ex tumultuose intentato conflictu te subducens;
nihilo tu minus ad solitam tibi præstigiarum ar-
tem recurras, nec tantum tuos incautis sumos
obtrudas vendasque, sed etiam tanto impotenti-
usiisdem quibus in libro contumeliis & calum-
nias,

nus, nomen meum incessere pergas. Quem in eventum honestos omnes, talia à te forsan audituros, ea veritate, aut tuit taxatione hic præsumo, qua præsumiti per se fuerint Docti, qui librum meum tuumque, ut & hanc ejus dissipationem animadverterint. Nempe, honestos omnes, quoties nomini meo insultantem te audierint, toties dico debere recordari ; Te talem Opponentem contra me insurrexisse, cuius Doctrinam à me nec refutari satis dignam, nec mihi iudos fieri satis doctam monstraverim. Item : Te talem librum contra me scripsisse, cuius totam præstantiam, nequidem contentu meo satis dignam, reapse & cum provocatione declaravermi. Et sane, nunquam eo quidem usque insaniam, volente Deo, ut me supra qualenacumque invidiam esse arbiter : attamen si tu ita pertinaciter te geris, ut iisdem conviciis honestam famam meam suggillare non sis desiturus, plañissime te habeo infra contemptum meum ; jamque præcursoriam qua eum in eventum sis notandus sententiam hic adscribo. Hugueninus Hulsius, quomodocumque sibi deinceps conviciaturum, infra contemtum suum esse demonstravit.

Hic vero te videre videor ad instar Ætæi cujuspam Tauri, torrentes flamas ore & naribus efflantem : dum imposanimi, quo te vertas nescis. quid agas, num silentium, num ultionem? quam, qualen præferas incertus; intereaque pœnitenti-

gitudinis & iræ impatientia sic exagitatus, ut ipsum me, in quem tamen solum extrema machinatus es, revera tui mesereat. Quin, ecce! non obstat justus ille contemtus meus, quo minus adhuc ad tui qualemcumque levamen, unum prote faciam.

Quid si tu rite, & formali schedula ad singulare certamen aut Duellum, strenue me provocares? Quid tibi videtur? Ob tuam illam strenuitatem, tamdiu tui contemtum in me ipso suspendam, donec Provocationi annuens, periclitati simus eventum. Spero enim venerandam Sapientiam istud mihi non improteraturam esse, sed permisuram referri ad præceptum de responsione Stolido facienda secundum stultitiam sum.

Tantummodo inter nos convenire oportebit, Quo vectore; Quibus armis; Quo loco pugnaturi simus! Vectori autem cuiquam veterino ut insideamus uterque suo, plusculum tuæ adhuc quam meæ commodiati faciet; ut qui memorabili carnis sarcina mihi præstas. Vide! facilis in omnibus ero. Ut amur jumento vectore Vatum Balaami & Sileni! (Nam tu vir Magnuses: & super Equum ex terra te in altum attollere, hoc opus hic labor esset.) Ex Afino inquam pugnamus uterque suo! Et facio tibi potestatem optio nemque, ut ex generosissimis duobus eligas utrum velis; vel etiam ut tuum arcessas ex Antonia. Armis vero utemour, quibus & ferreis?

Non

Non puto. Pugilatum non didicisti: & aspectus
ferri contremisces, forsanque ex Asino tuo
caderes; adeoque dispar effec certamen. Pugue-
mus non aliis Armis, quam quibus regendum e-
rit ipsum jumentum! simplici inquam, at bene
nodoso fuste, armati decernamus!

Locum tandem, ego hic quoque facilis, ada-
sinabo (adequitabo nobis non convenit,) qua-
lempcumque voles. Imo quia nec Coloniam us-
que, nec ad iter medium, te provehere posset
vector, Ecce me! fiat! Pomœriis Teutoburgi-
cis propinquem ego, & explicandæ Martiæ no-
stræ virtuti campus esto ad Portam vaccinam,
vulgo an der Ruhpsort! Ibi præsternus nos Vi-
ros! Animos ibi, lacertos, vires nostras exera-
mus! ibique totam litem à te mihi intentatam,
æterna rei memoria digno conflictu dirimamus!

Est interea quod unum restat ut te pugnaturū
præmoneam. sæpius nempe dum lacestis homi-
num mansuetissimi incaluit virtus verberando,
vix eos misericordiæ recordari. Quod si hac in
horribili pugna nostra mihi continget; vereor
plane ne tam densa & compacta ictuum, flictum
plagarum grandine te & Asinum tuum punetim,
cæsim, fæsim, effictim verberarem, ferirem,
percuterem, dolarem, cæderem, pertunderem
atque concerperem, ut frustillatim dissidente &
permista utriusq; pulpa, acoffatim à me cōcipilata,
Tois te κόραζε, τε, ζιωγίστε το πᾶσι τυχοίμινοι,
atque

atque sic nactus convenientissimam Inanitati tuæ
responsonem , funesta experientia disceres, me,
qui per primæ juventæ fere biennium castris in-
terfui , esse tibi hac etiam in parte superiorem.
Bonum est in tempore admoneri:

Interea vero quid definiturus sis , expectabo ;
insuperque metuens ne periculosus is conflictus
tibi placitatus non sit , aliud consilium hac in an-
gustia tua impertio : nempe de prudentia saltem
diligentius imposterum in partes tibi vocanda.
Arrige aures , Pamphile ! Si quando tibi posthac
in mentem venerit , aliquem Urfum mercari
quem sua pelle deglubere velis ; tu ante omnia,
probe explorato num certo sit mortuus ! Nescio
equidem quid de humana mea facturus eras : sed,
uti vides , nondum mortuus eram.

Utcumque sit tandem , mi Opponens ! mi-
rari non debes si ita districte tibi cæteroquin re-
spondens , joculariter tamen tam passim agere
tecum videor. Nam , ut tibi quod res est fatear,
quidquid allaborem Inanitatem tuam serio tra-
ctare , non possum ullo modo jocularias cogi-
tationes amoliri : adeo totus illius libri tui meo
oppositi genius , mihi jocularis venit , atque pol-
ridicularius.

Imo vero quia sum à natura factus animi ita
mansueti , ut omnium duri quid patientium com-
miserefacam ; quam maxime serio & sancte pro-
testor , me tibi ex bona parte eo nomine subira-
sci , quod has in te stricturas , tam temere à me

N

velut

velut extuderis ; quicum nihil mali de te meritus eram , tum ullam alioqui molestiam tibi tam non eram creturus , ut hoc quodcumque est , plane coactus invitusque fecerim . Ac tantum abest ut animo te funditus subvertendi contra te dimicatum venerim , uti quidem tu contra me ; etiam totam illam de te querendi ansam quam antehac habui , quamque nunc mecum Lector , sed ipse tu omnium optime noris ; imo & illam tantam quam de novo in hac tua Inanitate mihi præbuisti : illa inquam omnia libenter ego ad pedes Christi crucifixi , tanto majora pro nobis innocentissime passi , Christianæ charitatis ex animo tibi condonantis sacrificium advolvo . Etiamque palam declaro , me à voluntate quidem esse quoque paratum tuis commodis inferire ; at nominatim illis quæ ad animum , ad mentem , ad æternamque salutem tuam attinere , quomodocumque poterunt videri .

Nec enim ita didici Christum , ut etiam majora si fors erit , sub moderamine inculpatæ tutelæ passus ; non velim quantacumque lubens ex animo revellere , ex ipsaque memoria . Ut quid enim sperem , habere me Dei Spiritum , si opera carnis , Spiritus superni fructibus non supplanto Gal . v , vers . 19 - - 22 ? ut quid Sapienziam quæ superne est , si terrenam illam audio Iac . IIII : vers . 14 - - 18 ? ut quid amare Deum quem non vidi , si nou & proximum quem video I. Ioan . IV : vers . 20 ? O si vera Christi cognitio-

ne

ne, si vero Christi amore, si vera Christi religio-
ne & gloria ducimur; quam alacriter & certatim
omnes satagemus Christiani ἀληθεύειν τὸν ἀγά-
πην Eph. IV. vers. 15! Quo fausto omine, finem
hoc te in libro alloquendi facio.

C A P U T XIII.

Brevis ad Fratres Reformatos Parænesis: nomi-
natim ad Clivenses, Montanos, Marcanos &
Iuliacenses; ad Iplamque Serenissimi
Borussiæ Regis Majestatem.

Dilecti, Observandi Religionis Reformatæ
Fratres! Nemo Christianus nescit aut negat,
quin Dei vera in hoc humano genere Gloria, qua-
lem ex instituto Redemptionis quæsivit, quæ-
rit, & obtinere præstituit; in eo plane consistat
ut tandem Evangelium prædicetur ubique, &
omnes hujus Terræ fines, ipsum solum verum
Deum agnoscant & quem misit Iesum Christum.

Quamdiu itaque videmus tam id nondum con-
tigisse, ut multo major pars Mundi hactenus I-
dolatriæ scotomate sit oppressa; tamdiu intel-
ligimus Dei decretum adhuc parere, & hujus
mundi totius statum, duntaxat transitorium esse
ad illum alium quem indesinenter postulare ju-
bemur, dicentes, *Veniat Regnum tuum!*

N 2

Ae

At vero ubiubi gentium jam prædicatus verus Deus & quem misit J. Christus agnoscitur, Evangeliique fides & adoratio Christi obtinet; ibi nec magis adhuc est status consistens, sed tanto magis ad alium transitorius, quanto minus in institutum Dei, & fidei Christianæ quam profidentur, indolem, quadrat illa plurium Religionum sic dictarum diversitas; ne dicam dissidium, similitas, reciprocaque insectatio. Et quamvis omnes simul sumptæ componant illam socialitatem, quæ uno nomine vocatur, & suo quodam sensu est, distincte à Muslimis & Idololatriis, Ecclesia Christiana; hoc ipso tamen hæc talis Ecclesia, in statu transitorio dicam an potius violento esse intelligitur, quod tanta sit professionum discrepantia. siquidem ea omnium Christianorum Societas quæ tota poterit vere dici Christi Ecclesia qualem sibi molitur; qua unum ejus Corpus erit, quaque uno ejus Spiritu animata & duæ, conservabit illius unius spiritus unitatem per connexum pacis, Eph. Cap. IV.

Quomodo autem ex hoc transitorio, instabili, & divisionis statu, ad illum stabilem & Unionis nos traducturus sit Christus; res ipsa vel sola nos condoceret. Quandoquidem enim is status consistet ex Unione, & in ipsa Unione; utique Christi via qua nos in eum transferat, nec intelligenda venit, nec intelligipotest, nec erit alia, quam ipsa animorum ad unionem inclinatio comparatioque, ac per unam fidem in una

cum omnibus sanctis in Charitate radicatio & fundatio, Eph. III. vers. 17, 18; & Cap. IV. vers.

I.... 17.

Utque Dei judicium in certos homines, etiam bella sit interjecturum; non tamen ex illis unionem educet & Pacem Christus, aliter quam ut ex tenebris lucem. ac vere tenebriones illi sunt, qui clades, strages, sanguinis Christiani fluenta ita ad literam sumunt, ut jam ad bellum, ad arma buccinare sint parati.

Hæc quidem manifesta & in confessio res est! Nempe, tam certe debemus, operaturi cum Deo, studere litium & altercationum materiam diminiui, & animos ipsos tranquillari ac sedari; quam certe is Ecclesiæ quem Christus molitur status, germanus ille genuinusque Ecclesiæ futuræ status, ex ipsa unione, concordia, pace, charitate existitrus est & efflorescat, ac in iisdem confister.

Jam autem quæ Christianis, ut omnis sectæ ita & Reformatis, lis aut controversia intercedit primaria & quasi centralis; ea est cum Ecclesia illa Romano-Catholica, quam alioquin agnoscunt antiquissimam, ut ex qua secessionem fecerunt. Controversiæ vero totius quæ ipsis intercedit cum Catholicis, articulus pariter primarius & quasi centralis; est de primario & universalis omnium credendorum & faciendorum Princípio. quale semper & ad ravim usque Reformati clamarunt unicum esse verbum Dei in libris S. Scripturae

turæ protocanonicæ contentum : semper & ad rati-
vim usque hactenus conquesti, alia contra se u-
surpari Principia prima, quæ nonquam admissu-
ri essent ; sed quibus sepositis, sola Scriptura
retenta, ex qua, ad quam, per quam, & secun-
dum quam, omnia quæ sunt Fidei & Morum
determininentur ; hoc ipso se causa sua stare, cau-
sam suam vetricem esse, causam suam trium-
phare : Catholicam vero causam, nullam, cau-
sariam, evanidam, triumphatam, desperatam
causam esse.

Ut autem istud tanquam indubitatum quid,
 & cui nec ipsi Catholici deinceps reclamitare
 possint, hucusque Reformati solemniter jacta-
 runt : ita non minus serio semper professi sunt
 fore, ut si ex illo tantum S. Scripturæ Principio
Catholici cum ipsis experiri & quondam agere
 vellent, id sibi Reformatis optatissimum even-
 turum esse ; ut qui se vicissim lubentes ac placi-
 cidos ad examen fraternalm componerent : Imo
 & se paratos fore in omnibus, secundum omnem
 sententiam ex Scriptura demonstratam, cum
Catholicis convenire ; & eatehus per quæstio-
 nū seriem procedendo, cum ipsis sentire, &
 ad ipsos accedere. Illud duntaxat esse facien-
 dum ! A se nullam moram, nullam tergiversa-
 tionem fore ! Tantummodo se vehementer me-
 tuere ne talis per Scripturam solam controver-
 tendi occasio, nunquam ipsis obveniret.

Cum igitur non ita pridem librum quendam
 meum,

meum , cui titulus primarius Catholice Religionis Veritas , ex solo & Scripturæ rationali usu demonstrata , ad eam mentem sincere & aperto concepisse , publicamque ipsi Approbationem nactus esse , postea à Sancti Officii Eminensissima Congregatione , ipsoque Sanctissimo Patre , illo CLEMENTE XI. confirmata , cumque libri ipsius laude & commendatione roboratam ; non poteram profecto non pie lætari. Etenim vix ac ne vix quidem dubitabam quin ut Protestantibus in genere , ita nominatim Reformatis , meis peculiari titulo Fratribus , rem optatam & gratam fecissem ; quam & ob singulare momentum ita consideraturi & suscep- turi essent , ut serio & in timore Dei hac tandem occasione consiliarent de tentanda illa unica quæ in confessio est via complanandi difficulta- tes , Ecclesiæ Christianæ unioni , unitati atque redintegrationi , tamdiu , tam inauspicato , tamque ferale & miserabiliter objacentes.

Et sane quotquot respiram mortales , exor- des aut sumnolenti simus si tantum id opus , quod qui cæteroquin non sperat & optat , nequidem Christianus est , putemus peractum iri sine no- bis à Deo ; qui nos seu coactus sit , seu illud contraria leni verbo suo via , pro dormitanti- bus nobis operatus . Ac si causari velimus , Deum hoc aut illo tempore , præter spem & contra spem amare operari ; hoc ipsum vero causari , est nos ipsos accusare . Nam quanto mi-

nus spei nobis apparet ; tanto magis ergo nos tentare debemus, num non hoc ipsum id sit tempus, quo præter spem nostram, omnemque verisimilitudinem operari constituit. Nec excusatio ulla usquam superest , nisi si forte simus tam negligenter præcipites, ut nova etiam argumenta pro Pontifice Romano , illique audiente Coetu, ex supra dicto Dei verbo proposita, ne quidem examinare dignati ; ipsum & esse Antichristum pertinaciter clamemus ; & Deum stupendi cuiuspiam Spectaculi exitio , eundem cum Roma Ecclesiaque Catholica pessum daturum esse , conquiniscentes sumniemus.

Ad me quidem quod attinet , sincere , sine fumo & præstigiis , ut oculatus quisque videt , scripsi quæ de Veritate Evangelica scripsi : adio ut aliam fidem Evangelicam ei Scripto non consonam , à conscientia mibi nullam dictari denuo profitear ut in pag. 384. Utque sincere lætor eo progressam esse Catholicam Ecclesiam , ut ex materna sollicitudine , Vos ad primum & generale Religionis Christianæ Principium patiatur & velit provocatos : ita postquam librum meum , eum qualecumque præcursorum , ad Vos pervenisse accepi ; non cessavi nec cesso sperare futurum ut quis ex vobis prodeat insigniter Doctus & Candidus , qui Veritatis amplius eliciendæ causa , vestrum de illa Catholicæ Veritatis demonstratione judicium , publicis ex voto vestro scriptis mecum communicet !

Pro-

Prodiit quidem illa Pseudocatholice Religionis
Inanitas Henr. Hulsi Professoris Teutoburgici,
quam his perstrinxi schedulis : Sed, ô Deus bo-
ne! quam fœde & inauspicato abortiva est tota e-
jus vere *Inanitatis* stribiligo ! Quid ibi Doctri-
næ & Candoris? aut plenius ; Quid ibi Scien-
tiæ, Prudentiæ, Moderationis, Pacis, Hone-
statis, aut sincerae Charitatis & Pietatis videre
est? & quid non è tota diametro contrarium? Ac
qui se quandam efferens Religionum pro Chri-
sti regno Fabricatorem Cusoremque, sibi ma-
xiime gratulari debuisse planissimam maxime-
que expetitam de summa rerum agendi Metho-
dum; quam impotenter id unum contra Catho-
licos sapit, sentit, urget, quod male sana, teme-
raria, procax & turbulenta plebecula !

Quantum ipsum novi, equidem indubitatum
judico, eum provinciam hujus concertationis
non fuisse unquam ausurum adire: sed ali-
unde excitatum, ac proin existimationi suæ, si
non prodiret, metuentem; maluisse utcumque
desperanter, parumque de publica Ædificatione
sollicitum, in chartam illa retrimenta quasi tu-
burcinando conjicere; quam se ei negotio impa-
rem videri. An igitur Vos, quos speciatim
jam compello, Dilecti fratres Theologi & Con-
cionatores! ex publicis à Classe aut Synodo suf-
fragiis vestris, hominem excitaveritis ad eam
concertationis mecum agitandæ provinciam;

non facile credo. Nam qua sufficienti Vos esse perispacia existimo ; satis prævideritis, librum illum meum, utut quam familiarissime potui scriptum ; talia tamen rerum momenta continere, ad quæ satis intelligenda, at minus & refutanda, nequaquam sufficere possit cruda illa indigestaque Propheticæ lectionis farrago : cuius utique solius nomine, potuerit Hulsius vobis inter Eruditos habendus videri. ac sane talia labra non habent hac in re similes lactucas.

An vero Vos, Honorandi Fratres administrationis Politicæ Ministri ! illam ei viro Spartam demandaritis, abstrusæ credulitatis est : siquidem inconsultis & inauditis Vestris Prædictoribus, id non debeat facturi fuisse haberí. Ast hoc tamen ipso, quantum ad unum me spectaret, parum sollicitor.

Utcumque igitur se ea res habuerit ; certum interea evidensque est & manebit, Hulsiū illam talem Inanitatem mihi opponendam conscribilloando, immaniter & toto quod ajunt cœlo, abs requisitis illis, tum defecata & accurata Eruditione, tum honesto & virili Candore distitisse.

Etenim quidquid proferat quod directe ad librum meum refutandum facere potest videri, id totum attente consideratum, merus strepitus est, confragosus clamor, atque meræ præstigia, hocque sancte juro ; me nihil eorum lustrando deprehendisse, quod ad ipsam cujusque Dogmatis à me adfructi systematicam compaginem

ginem intortum , non iners & evanidum , futilitate dissiliat sua. Imo vero , Dilecti & Observandi Fratres ! totius ejus libri oppositu , mea Veritas eo magis & ultiro resplendescit victrix ; quin & Victoria ampliore quam vel opus erat , vel ipse desiderasse. Nam non tantum Religionis Catholicæ , aut meæ Veritatis causam nequaquam laedit ; sed omnino mihi videtur ipsam vestræ Religionis causam reddere deteriorem , atque adeo prodere & prostituere. Quod dupliciter ab eo factum , Vosipso puto vel jam videritis , vel jam agnosceritis.

Et primo quidem causam Religionis vestræ prostituit , respectu habito ad desideratam à me Opponentis mei futuri Eruditionem. Illinc enim , nihil nisi tralaticium , crambetque millies reccetas apponit : cum tamen , nisi fallor , meæ ex Scriptura demonstrationes , multæ novæ sint , & maximam partem antehac nondum visæ. Hinc vero non tantum ad exquisite differendum & disputandum ita inexpertus & ineptus procedit , ut nec unquam nisi subinde palpando & in transitu , questionis verum cardinem fortuito tangat : verum etiam , quod dicere præsertim volui ; cum privatas suas opiniones , & Scripturæ explicationes suas , tanquam uno consensu publico inter vos receptas proponit ; tum plane licentiosum & abnormem se gerit Prophetiarum interpretem , quas obtorqueat & passim applicet tam absurde , ut permutans quadrata rotundis ,

ex

ex cordato Lectore ritum, etiam invitum excusat: tum & quammaxime potest, quanquam præter necesse & contra verum, vestræ Fidei à Catholica discrepantiam & distantiam ubicunque valet sic exaggerat multiplicatque, ut magnum operæ pretium fakturus sibi videatur, si eas prorsus invicem inconciliare potest: etiam exelectato omni Fraternitatis nomine. Quod quantopere ab omnis tum sani Theologi, tum sobrii piique Christiani sensu & officio abhorreat; satis intelligitis ipsi, neque hic edifferendum puto.

Ast secundo eandem causam vestram non minus prostituit, respectu habitu ad desideratum à me Opponentis Candorem. Illinc enim vel se ut Vertumnum aut Proteum quempiam versat; vel ipsam Scripturam in cuiusdam æris Campani aut Dodonæorum lebetum sonorem, præconcepta quælibet animi sensa resonantem, quantum pro re sua potest, revera transmutari satagit: Hinc vero non tantum tam diligenter omnibus quibus potest utitur præstigiis, ut librum mea vita non vidisse qui purum putum veteratorem æque ut ille spiret, illibata fide jurem; verum & tam apertum Veritatis, Honestatis, Charitatis, omnisque Humanitatis contemptum quasi jactandum & Catholicos & me qua talem pessum dare putat; ut in ambiguo pendat judicium; Num ipsimet tam impotenter ex infrunitæ plebis genio frendenti, numne ipsi publicæ quam sic defendi

defendi pertendit, Religionis causæ, majus id existat opprobrium.

Verum tamen vero, ista à me superius quantum sat erat monstrata, & à prudenti Lectore sat is observata; neutquam hanc in synopsin re præsento, quasi virum insectarer cui ex præcedenti Capite omnia, quantum me spectant, sincere propter Christum ignosco. Unus mihi scopus est, ut quod Capite præcedenti, ab ipso stipulabar; id qua Vobis datum erit, ratum esse iuratis: vel etiam potius, ut planissime intelligentes qua data via posset ex solius Scripturæ Principio Veritas amplius discuti, & excussis utrinque præjudiciis, manifestius explicari; Vos tanto providentius dispicere valeatis, quam ad inæstimabile illud quantævis operæ pretium, contribuatis symbolam.

Nil magis ineptum, nil magis insincerum, dicam & magis impudens ac maleferiatum ex quavis Mundi parte potnerit unquam Libro meo opponi, quam quod vestris ab oris hactenus oppositum est: & annon vel eo nomine, tanto minus iniqua spes erit, fore ut vestris itidem ab oris aliquid aptum, sincerum, modestum & liberale prodeat, quod ad Veritatem in Scripto meo fraterne propositam, amplius tecum fraterne disquirendam facere possit?

Et annon ex pluribus illis quos Vos habere credo Viros, illo Inanitatis Authore, à vera E- tudiione tanto doctiores, quanto à sui tam in- confi-

considerata venditatione , & fallaciarum nuga-
mentis abstinentiores : a non inquam ex illis u-
nus , suffragiis optato vestris accederet , hanc sibi
traditam lampadem accepturus , ac pro Veritatis
Cognitione augenda (Dan. XII. vers. 14.) pie ,
fraterne , mecum Scripta commutaturus ?

Ad me quod attinet , sicut Veritatis indesinen-
ter indagandæ studiosissimum me profiteor ; ita
meus quicumque in illa indagatione publicus fu-
turus Commilito , alium me non experietur
quam qualem ad Amicum scribens memoro :
qui nempe nonquam sim passus , ullo Comitatis ,
Honestatis , Humanitatis aut Pietatis officio , à
quoquam me vinci ; nec fortassis præveniri .

Talis ego præcipuum ætatis meæ florem , per
duos & viginti annos sub Umbra Tua vixi ,
BORUSSORUM SERENISSIME REX ! in
Ducatu Tuo Clivensi , nec gravis ; nec indeco-
rus ; nec inutilis ; nec imposita mihi munia pu-
blica sustinere negligens ; nec indigenarum Sub-
jectorum votis flagrantiora mea ad Deum pro Te
succendere cessator ; nec singularia venerationis
& zeli in Majestatem Tuam mei ad extremum
usque edere signa piger : nec adeoque meritus
quem Deo & tempori cedentem , truculenta
fævitie , contumeliis , calumniis , & diris exe-
querentur nonnulli mortales , alarum Tuarum
Umbra libidinose abusi . Qui quantum non re-
formidant , hanc forte libidinem ad aures Tuas
per-

periventuram esse ; tantum exoptarem ego ad Tuas usque manus pertingere potuisset is supplex libellus , quo res meas ante biennium Regiae Tuæ Bonitati , Justitiæ , Pietati transcriptas , humillime commendabam.

Atqui dum eas reproto Majestatis Tuæ Virtutes , non desisto sperare futurum ut quod Illis dignum erit , jubeat intemerato servo suo concedi : quando quod & hac parte illis dignum præstiterit , dignum & erit oculis æternæ illius Sapientiæ per quam regnant Reges .

Regi tamen Christo æternas dicam grates , qui me forte mea semper sic dat esse patienter contentum , ut non magni faciens quæ mundi caduca sunt ; idcirco præsertim ad Majestatem Tuam sermonem meum converterim , quo meæ pietatis erga Ipsam obsequio , submisse defunge . rer. quod ut secundum Deum facio , ita Clementiæ Tuæ acceptum venire confido .

Violentus , Potentissime Rex ! violentus est , nothus & invisus Deo Ecclesiæ Christianæ status , quo nunc præsertim à duobus fere seculis , in diversas Religiones distracta jacet squalletque . Ethnicorum erat , quibus affatim Numinum suppeditabat , in ipsis quoque hortis crescentium ; Ethnicoram inquam erat , Religionum multitudine plurifariam distingui . Nec illi vero Deo non erit invisa illa inter Christianos diversitas ; ideo quod omnes profiteantur , se illum verum unum & solum adorare : imo vero tanto magis est ipsi

ipſi invisa. Nam quid in verbo tuo Veteris Instrumenti Novique clarius exposuit, quam ut se Unum esse, & suum Fedus unum; ita se Populum unum velle, una qui mente ipsum agnoscant, uno corde ipsum ament, & uno humero ipſi serviant?

Et quid ab ipſis rerum eventis, extantioris est in Scriptura exempli, quam Sectarum discordiam cum invisam esse Deo, tum ejus benedictione cassam? Hunc ab Orbe condito sui Unius characterem voluit impressum in ſibi Federatis adipectari; idemque volet eadem qua Unus manet constantia. Frustra decem Tribus à domo Davidis ſecedunt: fruſtra Samaritani, Templum ſibi Cultumque separatum moliti; verum divini Verbi ſolum librum, ſenſum, veramque Religionem ſuam, Synagogae insultando jactant. Tam eos non approbat Deus, ut Synagogam licet mirifice corruptam, Unioni tamen & Unitatis Ecclesiæ traducem claraverit, & ab iplo Christo cum agnisci tum demonstrari voluerit.

Actum ſane quidem, Testamentum & Fedus novum ſanciente Christo, potuit ſi unquam putari, Deum illius Unitatis ejusdem per ſecula traducendæ, non ita perſtare voluisse, imo & quodam ſenſu, non ita perſtare potuisse zelotypum & tenacem, ut ab ipſis fundamentis novam Ecclesiam, aut ipſis radicibus novam Arborem, jam tum ſaltem noua educere poſſet, veller, debet. Atqui tamen ne tunc quidem debuit, voluit,

voluit , aut ex instituto potuit ab illo sui chara-
ctere in Ecclesia perpetuando & perennaturo,
ab illa inquam Ecclesiæ Unitate per Unionem
perpetuanda & perennatura, ullam secessionem
facere.

Quin imo vero , non tantum Ecclesiæ priscae
fundamentum primarium esse voluit idem ;
Christum nempe tandem in carne manifestatum
& consummatum : sed super illum angularem
lapidem exædificatis tum Patriarchis & Prophe-
tis , tum fidelibus ad usque Christi tempora Ju-
dæis, ita superexstrui voluit omnes credentes E-
vangelio , ut quanquam habito ad Libertatem
& Oeconomiam Evangelicam respectu , Eccle-
sia novum ædificium esset ; esset tamen unum
& idem illud vetus , habito respectu ad illam U-
nitatem & Unionem , qua uni & eidem primæ-
vo Fundamento , idem Templum unum , lapi-
dibus vivis ædificare pergit. non jam ex sola
Circumcisionis lapidicina erutis , sive Judæo-
rum ; sed promiscue deinceps ex illa quoque Præ-
putii , sive Gentilium. Tam zelotypus & te-
nax est Deus , Unitatis & Unionis in Ecclesia
sua perpetuari decretae.

Nil magis unum quoddam est quam una Plan-
ta , una Arbor : ex : gr. una Oliva , quæ sua ra-
dice stans vegeta est , crescit , & tempore laben-
te perstat ac grande sit. Dei unius Ecclesia u-
na , fuit ab initio & est vegeta quædam Oliva ,
stans sua radice Christo ; qui , parta per sanguinem
O suum

suum pace , adeptus omnem potestatem & administrationem Ecclesiæ , eandem unam Olivam , jam in horto veteris Ecclesiæ plantatam ; servavit , putavit , excoluit : nec aliter ad sui communionem Ethnicos admisit , quam ut cuiuspiam oleastri surculos , quos eidem illi uni Olivæ intevit fide staturos , ac ita participes radicis ac pinguedinis Olivæ futuros , Rom. Cap. XI . vers. 17 - - 24. Sic Ecclesiæ illi Olivæ insevit , inserit & inseret quotquot eadem fide quæ una est , vultin se vivere & ferre fructus . Et sic illa Oliva , Ecclesia porro Christiana , adolevit , perque addita semper nova insita crevit secundum seculorum decursorum seriem .

Neque protectio in Scriptura legitur , ut nec ex Scriptura intelligitur quicquam , de alia Oliva quapiam seu plantata seu plantanda , magis quam de eradica aut eradicanda illa Una & primæva cuius ipse Christus radix est : quanquam è diverso & ex Scriptura intelligatur , & in Scriptura legatur , ejus Olivæ ramos fide non vivos & stantes , ex ea posse excidi à severo Deo ; sed eosdem , modo ut non permaneant in infidelitate , posse rursum eidem à benigno Deo inseri , ibid . Rom. II .

Totum hoc serio perpendant illi quorum professio insolidum stat ea absurda & sublesta suppositione , ac si potuerint juxta primævam illam Oleam plantari , non quidem aliæ stirpes aut oleastri , ac saltē illius ejusdem seu stolones ,

seu

seu taleæ, seu quidam surculi : quasi vero hoc ipso quod ab ea sint resesti aut avulsi , non jam cessent fieri participes pinguedinis Olea ejusque radicis, (vers. 17.) quæ duntaxat est & esse potest una vivifica. Serio perpendant iidem quam inconcussa claritate & evidentia, hæc vero Scripturarum & omnium viarum Dei systemate content : ut quod aliter tam subsistere non potest , ut quibuscumque ex adverso explicationum interpolationibus pertentetur ; ipsum hiare, rimas agere, dissolvi, & mole ruere sua quivis attentus viderit. quin & magna pars partem vere pueriles sint, quas quidam magnō boato ratiunculas objectant.

Ac ego quidem non satis intelligo cur Catholicon vulgus ita faciles sint, ut à Protestantibus petant suorum Reformatorum miracula ; perinde ac si iatis probatura fuissent divinam esse eorum illam Missionem , quæ Ecclesiæ Unionem & Unitatem laceravit : aut potius , quæ solvens vinculum ejus Charitatis per quam omnes oportet eodem Fundamento , eadem Radice fundari & radicari (Eph. III. vers. 17, 18;) hoc ipso novam diversamque Dei Domini struere , novam diversamque Oleam plantare affectavit. Atqui Missionis ullius eo erumpentis fidem sufficientem facere , Miracula quantumcumque ulla non magis potuissent aut debuissent ; quam ratum Dei Christique de una Fide , charitate , & Ecclesia præstitutum , nunc tandem immutare.

Serio itaque recogitent idem an Ecclesiarum nominalium ab illa primæva abscissarum , unam alteri copulandam , conciliandam , & sic ex duabus unam conflandam studere ; An id sit eam Unitatem & Unionem unius Ecclesiæ à Deo commendatam & quæsitam quærere ? an non potius sit divortium & dividiam fovere ac augere ? Annon fere sit idem ac ad mutilati corporis sanationem , amputatorum duorum membrorum alterum alteri asluere ? Annon fere idem ac ad antiqui unius Templi refectionem , vicina duo nova sacella coædificare ? Annon & verius , idem ac ad unius laceræ Oleæ curationem , defracta duo ejus ramalia colligare ; aut alterum alteri emplastratione committere ?

Quod autem consilium , quam piam animi sententiam de Religionum syncretismo , ut vocant , jam inde à pluribus annis verses , Generofissime Rex ! norunt Christianus Orbis ; & ut magnifica Pietate Tua dignum , laudibus magnificis efferunt . Laudibus sane efferunt , quotquot vere gnari , vere sapientes , vere pii Christiani non dubitant Majestatem Tuam cum ei generaliter lethali plague percupere mederi ; tum speciatim ita mederi , ut qui rami ab antiqua , ab una illa Olea defracti fuerunt , ei rursum inserantur , pro eo ac potens est Deus rursum eos inserere . Nam ut in sua ipsius autoritate statuerit tempora sive opportunitates , regnum quandocumque suum restituendi ; per Reges tamen & Principes cum ipso

ipso operaturos, id restituere perinde constituit, ac nonquam id importune tentabunt cuius ut tempus ignorent, certum tamen sciunt & decreatum esse, & per ipsos fieri destinatum esse à Deo.

Principalis hujus vereque Regii moliminis Te consultores ex Tuis habere, dubitari non potest: sed neque dubitari quin & tales adfint, qui quanto Dei Christique cognitione pollent minus, tanto magis privatam rem suam Religionum obtentu promovere student, achorum ubique major numerus esse solet. Hi quodcumque videbunt magis præsentaneum, ad commoda sua rapient: ac ut sibi captata ex Lutheranæ & Reformatæ religionis conciliatione, sportula sit certior citiorque; non modo id negotium magna zeli specie ut principale quid commendatum, ferventer urgebunt: sed ut quod vere principale est, à Tuæ Pietatis solicitudine subducant; divisionem ab antiqua illa unaque Ecclesia, irremediabilem proponent, & quantum in se fuerit, etiam ipsi præstabunt.

Quod ut possint assequi, probris omne genus, etiam post multa secula nunc sepultis, etiamque maligne confictis, Catholicos onerabunt, incessent, ac velut aqua & igni interdicendos traducent. Dulce id & Christianum, si quid Christianum superest, Fraternæ dilectionis ipsum Nomen execrabantur; & explodendum ac jurandum clamabunt. Ad arma! conclamabunt,

Ad arma! seque ipsos feciales, classices, tympanistas, antefignanos & incendiarios, ferro ac flammis quaquaversum populum Catholicum vastaturos, jam jam sistere & præstare gestent: ac se à Majestate Tuæ ad id jam nunc auctoratos esse præse ferent, ac tantum non apertissime dicent. Adeo dubium non subest quin si eorum consiliis dicto audientem esse velit, jam nunc Christiano sanguine immersare Europam, Arma sua destinet. Tam Christiano, scilicet; tam pio, tam honesto, tam moderato, tam humano, tam non barbaro, tam non insano sunt pectori nonnulli, ad Majestatis Tuæ consilia, ut quidem credi vellent falsoque comminiscuntur, merito suo admissi: at verissime tamen, quod non credi vellent, veri terræ filii; de Regni Christi amplificatione, de vero Sceptri Tui splendore, de æterna Christianæ gentis salute tam parum solliciti, quam Ventri Deo suo omnia sacrificare parati; publicæ labes, insatiabiles gurgites, & fecum terrenarum helluante suetu inexplorables voratrices.

Ex talibus autem Consultoribus, inauspicatores esse solent ii, qui Theologicæ cognitionis nomine veniunt favorabiles: omnium vero maxime, qui, et si nullo Literarum elegantiorum, & Artium feros mores emollientium cultu; sed proletaria tantum eruditione Semidocti, ac suis de cætero affectibus mancipati iisque toti turgescentes; publicam docendæ Theologicæ Spartam, quo-

quevis demum fato nacti sunt. vix proinde quicquam aliud, quam, uti Studiorum & Morum, ita & Pietatis publicæ certa Pestis futuri.

Quorum etsi consiliis Majestatem Tuam auctoritatem esse, non vehementer metuendum est, quandoquidem & tales singulariter pauci, numerum puto non faciunt ; & non uno habes Viros qui tanto prudentiores, non negligent Indole, Pietate, atque Consiliis Tuis digniora memorare : nihil tamen minus ego metui, ne antiquæ Venerationis in Te meæ conscientiam frustrarer, si quantum nonnullus magis absurdæ, tantum ego præclariora insinuare non laborarem.

Accurare ut Populi unum Christum adorantes, ejus unius Pastoris unus evadat Populus, & Grex unus coalescat ; non dubita, Præclarissime Rex ! id tantum esse molimen, quod & Cœli parturiunt ; & cui applaudent Angeli ; & cui magnus Æther nutabit ; & quo exsultabit Terra, perstrepere Mare & quæ ipsum implent ; orbis habitabilis & habitantes in eo, dicentes : Deus insidet solio Sanctitatis: Voluntarii populorum congregantur, Populus Dei Abrahæ : Pastor Israælis tandem auribus percipit ; Ductor Josephi tanquam Gregis, illuceffit ; Deus exercituum revertitur jam, intuetur è cœlis & respicit ; visitat vitæ hanc & surculum quem inseverat dextera ejus ; convertit, restituit nos, facit ut luceat facies sua : ita servabimur Populus ejus & Grex pastus ejus. Ingredimini portas ejus cum

gratiarum actione , atria ejus cum laude , gratias agite ei , & benedicite nomini ejus !

Regium verè molimen , & Christiano - Reformata Majestate tanto dignius , quanto profundiora educatio Reformatis inolevit , de Catholicis præjudicia ; ac nominatim illud quod omnium instar habet , nempe , de Romano Pontifice tanquam Antichristo . Sed uti Tuam Pietatem juxta cum Cordatorum nonnullis , id inficiari non dubito ; ita quoque non verebor Ipsam obsecrare , ut cognoscere non dignetur sinceram claritatem , qua dictum Reformatis illum Antichristum , non Papam esse , quem universalem & perpetuum Ecclesiæ Antistitem Prophetæ prædixerunt ; sed ipsissimum esse Muhammedem ostendit mea Catholicæ Religionis Veritas ante biennium præter propter evulgata .

Quo in libro meus ad Majestatem Tuam , sicut in isto , humilis assatus est ; de quo si forte sciverit , spero quoque dignaturam de toto libro rescire per eos quos Se penes habet insignes Theologos , nomine non uno mihi reverenti notos . Ac ab illis non ingratum hoc imprimis inaudire poterit : Primaria nempe Dog nata de quibus Controversia est , non jam ex Authoritate ulla humana , aut ex Traditionibus ; sed ex sola S. Scriptura protocanonica , immediate , ut loquuntur , omnia & singula adstrui , ac Methodo vere Theologica sic constabili , ut ad cuiusque attendentis propriam conscientiam approbari ,

probari, apte destinata sint. His autem ita constabilitis, ut egoquidem satis, quanquam breviter, constabilita credo; evictastat & invicta Catholicæ Religionis Veritas. Evidem ad remotiora illa, imprimis externum cultum spectantia, non particulatim descendit: verum neque id in tanta brevitate fuerat necessum; ut neque in illis, post evictam quam trado Veritatem, magna foret difficultas.

Primus itaque & primarius, ad tantum quod dixi molimen, labor totus eo redierit: curare scilicet dispici & rite disquiri, An sola S. Scriptura Veteris & N. Testamenti protocanonica, sibi ipsi per omnes partes aut textus accurate conciliata; de supra dictis Dogmatibus idem quod Fides Catholica, nou plus, non minus, præcise comprehendat? vel & Reciproce; An Fides Catholica de supradictis Dogmatibus, idem quod S. Scriptura, sibi ipsi per omnes partes accurate conciliata; non plus, non minus, præcise comprehendat?

Atqui, Religiosissime Rex! hujus Problematis affirmationem disquirere, labor haut molestior est. quam juxta solam S. Scripturam, librum si placeret meum deponere, sine præjudiciis examinare, & exsplendenti in conscientia locum dare Veritati, confessione oris efferendæ. Ac ut eapsa disquisitio, cum accurationem, tum tempus requirat; utriusque tamen compendium in proclivi foret, si Majestas Tua opellam qua-

O s lem-

leme cumque meam non aspernata , dignaretur
cuipiam vere Docto & Candido , ac proinde
cordato Viro dare partes de Scriptimei Veritate
mecum experiendi. Nam dum Cordatus ille
Vir, filius juxta ac ego Veritatis zelo ductus,
Veritatem agnosceret ; hoc ipso, ceu qua data fos-
sula rivulo fluenti, sponte ac sensim fit latex ; ita
sponte ac sensim surgeret è limine Templi ri-
vulus , mox Te animadvertisse futurus altus
torrens , Ezech. XLVII. Nihil debile in manu
Dei, qui solet , amat semper ex parvis initiis e.
ducere quantacumque patrat maxima.

Utcumque veros sit ; sicut optime nosti , Cle-
mentissime Rex , oportere secundum Decre-
tum , Vias, & Mandatum Dei, Christianam
Ecclesiam rursus unam in unum coalescere ; &
non esse Deum in vehementे vento , neque in
concussione , neque in igne , sed in placidæ &
silentis auræ susurro esse ; & Deum Pacis esse ,
ipsumque Christum Pacem esse ; & Filios Dei
esse qui prosequuntur Pacem , nec nisi in Pace
& ex Pace ac animorum discordium sedatione &
consensu , futurum esse ut in unam fidem , in u-
nam charitatem , in unum Baptismum , in unam
Religionem Gens Christiana coalescat : ita non
verebor ad illa respiciens , Majestatem Tuam ,
enixissimo pariter ac humili celestimate' , ad pri-
mas ac faciliores exploratissimæ Pietatis Suæ
partes , ut fidelis Christi servus hortari .

Pergat, nimicum, instet illa Tua Pietas,

mo-

moderationis exemplum aliis Principibus præ-
ge! satagendo illum præposterum & sine cogni-
tione zelum, quo vulgariter ac præsertim ple-
bes & ingenia plebeja ardent & exæstuant in di-
versæ Confessionis fratres, temperari! at no-
minatim satagendo eas injurias, contumelias,
invectiones in Catholicæ Religionis seu cultum
sacrum, seu homines ipsos reprimi; similitates,
odia, rancores seism tolli, & quantum fas est,
aboliri: ut quibus omnibus mutuam toleratio-
inem, concordiam, amicitiamque fraternalm
succedere, Pater communis allabores! Etenim
obtenta amica talis concordia, non tantum non
obstaret singuli cujusque in alterutra religione
sua pietati; sed imo utrinque tanto sincerior es-
set, & ex Evangelico Spiritu tanto magis tem-
perata.

Tantum autem abest ut hæc memorem, qua-
si quæ Sapientiam Tuam fugerent, aut quibus
non libenter esset invigilatura; etiam anhelo,
Deumque votis fatigo, ut eadem à cunctis
Principibus Christianis, in suis cujusque Regioni-
bus det pariter accurari. Nam, ut quid ad pri-
vatum Christianum attinet, publicæ quam pro-
fitetur Religionis ubi vivit toleratæ & permis-
sæ, negotium; nisi ut quamdiu illam sanctam
esse credit, tamdiu sincere secundum illam vivat?
Atqui nec ullo modo sincere Christiana Religio
erit, si ex illa non didicerit, cum omnes in uni-
versum homines, ut proximos nostros, huma-
nitate,

nirate, benevolentia & beneficentia esse complectendos ; tum vero præsertim , ampliusque , ut certo gradu Fratres, eos quieundem verum Deum & quem misit J. Christum , juxta nobiscum credere , timere , amare , adorare se profitentur.

Macte igitur regia Virtute , Christiana Pie-tate esto ! Serenissime Rex ! Perge , insta , urge ! Fac ut Pax , Concordia , Amicitia , ac reciproca Fraternitas in Tuos Protestanticæ & Catholicæ Religionis subiectos , sub Te reginæ regnent !

Clarius ! Facut Benignitas , & Fides occur-rant inter se ; Justitia & Pax osculentur se : quæ binæ & binæ parent viam Jehovæ ; adæquent in solitudine aggerem Deo nostro ; valles attollant , montes & colles deprimant , ut abeat quod curvum est in planum , & salebrosa in con-vallem : sicque Jehovæ apparituro , Christo Regi Justitiae & Pacis venturo , binæ & binæ consertis manibus in occursum procedant. Ut qui promisit se tempore isto recepturum esse Claudicantem Ecclesiam , & Remotam con-gregaturum : illamque dispositurum in reliquias , hanc vero in gentem validam ; regnaturumque super eos in illo suo Monte Sionis ex hoc tempo-re usque in seculum . Etenim advenerit hoc ipso Potestas prima , seu Dominium illud primarium ; Regnum scilicet spirituale id unum Filiae Jerusalem , Mich. IV: 6 - - 9.

Macte

Macte Virtute esto ! Potentissime Princeps
sub hoc idem tempus in Regem evecte ! Præsta
te, inquam, illum Consiliarium ! Præsta Te il-
lum Regem, ex quo Regnatoꝝ præcipit Deus
ut illa Turris, ille Πύργος gregis ac Clivus filiæ
Sionis ad quem usque venturus est, consolatio-
nem, spemque prælentaneam & arrectam con-
cipiant ! *ibid. vers. 8, 9.* Pacem & benicitatem
tanquam semina Fidei, in tuorum Subjectorum
corda ferito ! ut Fide è terra germinante, Justi-
tia è cœlis prospectet, & præeat Christo dum
conferet ad iter pedes suos, Regnum suum late-
porrecturus, quod est Justitia, Pax, & Gaudium.
Psal. LXXXV. vers. 9 - - 14. Rom. XIV.
vers. 17.

His seminibus jactis : Ea via sic Christo,
quantum in Te est, parata ; vere Regiam mer-
cedem Tibi eo ipso in Cœlis repositam, nulla
rerum Mundi catastrophic intervertet. Quin imo,
uti quot hoc tempore sunt motus, fragores,
bella, vastæque nationum conuassationes, tot sūt
gressus Christi, per Mundi nutantis machinam ad
Sponsam suam visentis : ita Auspice Te delecta-
tus, quæ Tuis vere commodis incrementisque
cessura sint, providentissime attribuet.

Et ipsam quoque solidam, amplam, abun-
dantem Pacem temporalem, ex ea spirituali
coalituræ tandem Ecclesiæ fluxuram ; quare
non ut cum ipso promoveris tardantem, pariter
ab ipso fruendam non peteres ? aut Vitæ Tuæ
dies

dies ad eam productum iri, cur nobiscum non sperares? Ast quanta magna Mercede Majestatem Tuam munerabit, hanc tantam pie præfigis jam votis meis
adjuvo.

E I N I S.



Imprim

Impr

Imprimatur. Coloniæ 21. Julii 1704.

Cornelius Brevver,
Librorum Cenfor.

Paratula.

Pagina , Linea , Lege !

- | | | |
|------|-----|----------------------------|
| 6. | 7. | Apologetico |
| 11. | 17. | quanta |
| 12. | 8. | Adeoque , i. |
| | 15. | 2. Cumque eadem |
| 15. | | numerus pag. male stat si. |
| 22. | 4. | emauantibus |
| | 15. | corruptionem |
| 26. | 16. | scripsi |
| 29. | 11. | contraposita est ; id est |
| 36. | 25. | profecto |
| 37. | 22. | æqualem utrinque |
| 41. | 4. | amore |
| 42. | 27. | Bardocuculli |
| 52. | 4. | invenit |
| 56. | 21. | dixeram |
| 71. | 13. | præpropero sanguinis |
| 83. | 11. | prostare |
| 86. | 25. | hybridis |
| 89. | 17. | titulo |
| 91. | 5. | ipse dixit hodiernus |
| | 22. | progressum |
| 103. | 7. | derisissetis |
| 115. | 15. | ultimam |
| 120. | 29. | seu generatim |
| 130. | 15. | Studioſi |
| 134. | 20. | obversans tanquam |
| 189. | 5. | & docte pro modulo |
| 204. | 28. | pendeat judicium. |

dem
nicht hat.

gibt


und

ein


es

o

o








8 B.C., St-222, 1A.

g





TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

Cyan

Green

Yellow



Red

Magenta

White

3/Color

Black



© The Tiffen Company, 2007



